OLAI
A.
SII.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubicatate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq; materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonneminis Wittebergae emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

De

OBEDIENTIA,

Tàm Civili, quàm Spirituali,

EXERCITATIO PECULIARIS.

Theologica & Philoſophica.

Naturam Obedientiæ, principia, affectiones, ſubjecta, & ſpecies diſtinctiùs repræſentans, Quæ Oppoſiti ejus, Inobedientiæ, ſpecialior ratio, affectio, varietas ſit, conſtituens, variaq́;, quæ cum Sociniſtis, Arminianis, Pontificiis, in diſceptationem apud Theologos veniunt, magnâ parte deducens & examinans.

Pro veritatis confirmatione, falſitatis confutatione plenıore in Theol. concinnata.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,

Conſil. Elector. Eccleſ. & Profeſſ. Emerito.

ANNO M DC LIX.

5.

ILLUSTRISSIMO CELSISSIMOq;
Principi ac Domino,

DN. BOGISLAO RADZIVVIL,

D.G. Duci Birzarum, Dubinch. Slutz. & Kopyl. S. R. Imperii Principi, Ducatus Prussiæ Gubernatori, Magni Ducatus Lithvaniæ Supremo Stabuli Præfecto, Branscensi, Popiritensi Gubernatori, &c. &c.

Domino suo Clementissimo.

S. Et in rebus prosperitatem.

DOcta ignorantia est, DUX ILLUSTRISSIME, quæ litibus & dissidiis caret. Hoc castæ avitæ doctrinæ simplicitati justè asseratur, alienæ ab eâ fidei negetur. Quæ nempe litibus foeta, ut non fluctus

plures in surdo mari. Illa in vitâ usum, in morte solatium suggessit. Disceptata in infinitum fusa utrumque invertere possunt. Sed simplicitas fermè sordere incipit, aut ut fomentum hæresium incessitur ac exploditur. Si Apostoli reviviscant, authores aut fautores earum audire fortè cogerentur. Quæ ad pacem Jerusalem in tantâ turbatione facere queant, pauci curãt aut capessunt. Incendium spectare plures malunt, quàm extinguere. Ego ab annis aliquot in sedando bono animo ac Conscientiâ laborare aggressus sum. Nondùm omnia publico dare licuit, nec omnibus placere potuerunt, quæ dedi. Diu scripta iniquè impetita, post septennii silentium defendendi necessitatem etiam patienti animo extorserunt. Tacere non securum amplius visum, ne jam non verecundia, sed diffidentia esse incipiat, siluisse: Et dum criminationes confutare re-

spui-

ſpuitur, crimen agnoſci deprehendatur. In conſenſum n. malitia ſilentium interpretari poteſt, ac per falſa etiam calumniæ authoritas eſt, proniſq; auribus excipitur. Sed & ſcribendo Curiones irritari magis ſolent, quàm compeſci. Acerbiùs inſurrectum fuit, & virulentia ad contumelias argumentum fuit, quibus non meritus laceratus. Abeſt remotis ſemotus terris belloque occupatus Optimus Cauſæ meæ Patronus, *Elector Serenisſimus*: Qui me nullis meritorum officiis cognitum, & patrocinio dignũ, & titulo clementisſimè cenſuit. Dum abeſt, & Celſ. Tuam SIBI Vicarium, provinciæ Gubernatorem, militiæ Imperatorem eſſe conſtituit, ſenſum aliquem injuriæ apud Illam deponere ſubmiſsè conatus ſum. Intereſſe Chriſtianiſmi videtur, ne ſcripta ad pacem compoſita pari cum impiis cenſu accipiantur. Id dicatione ſcripti hujus apud C. T.

 teſta-

testari volui: Controversi quidem, sed quo ad aliud hoc tempore occasio non suppetiit. Quod ne à gratiæ suæ tholis refigat, sed cum authore suo eâ dignum censeat, officiosæ demissionis verbis rogo. DEUM ex animo precatus, C. T. in turbatissimo hoc seculo ab omni malo asserere, pacem provinciæ operâ Ejus reducere, ut ex Illius consilio lœtitiæ causas populi urbesq; concipiant, & gloriosâ in posteris famâ æternitati consecrare velit. Gedani, 4. Calendas Martias. Anno 1659.

Illustriss. Celsitud. Et Excellentiæ Tuæ

Devotiss. Cultor

HENRICUS NICOLAI,
Cons. Eccles. & Prof.
emer.

LECTO-

LECTORI ERUDITO
S. Et pacem Christi.

T*Hema sisto*, LECTOR erudite, *quod in Theologicis usum passim circumfert, à nemine, quod sciam, distinctè pertractatum fuit. In* Polemicis, Practicis, Casualibus, Homileticis, *frequens* Obedientiæ *mentio, sparsaq́; tractatio. Varia cum variis etiam super eâ controversia.* Oppositum Inobedientia, *non minùs quæsiti ferax. Interest, distinctè naturam ejus pernoscere, quæ, qualis, in quibus, quotuplex sit, & quæ Oppositi ratio sit. Digessi, quæ magnam partem hic disceptentur. Quid sui juris Natura rerum ferat, quid abnuat? Quid aut Veteres invenerint, aut sequentes adstruxerint? Quid explicitius in propositis esse queat, ostendi. Quæ ultrà quæruntur, jam in Theologicis alibi prostant, strictimq́; libata, ac eò amandata. Inprimis* Sequestri nostri Obedientia *memorabilis, ubi & humanorum causa movet, & insigni approbata exemplo veritas disceptata commovit. Multa fidenter* Photinista & Arminianus *disceptant, de quibus meritò illud usurpes: Studia eorum prohiberi debuerunt, quia regi non potuerunt. Ultrà, quàm securum, huma-*

na quandoq; temeritas progreditur: Et mota semel curiositas modum difficulter novit aut servat. Pontificius *multa superstitiosè de Cleri Obedientiâ induxit. Ubi sæpè vana pro veris non tantùm à militibus in bello, sed & in pace à superstitiosis accipiuntur. Caliginem ignorantibus parumvè versatis universa offundere possunt, quam disjici aut auferri ex usu fore deprehensum est. Conatus sum hoc Opusculo, quod accipe, lege, & pensa,* Lector. *Si quid ex solido & utile videris, DEO grates exsolve. Si sequius occurrat, humanæ infirmitati adscribe. Aequum est, virium nostrarum nos meminisse, ut & alii suarum meminerint. Id utile futurum, & servandæ æquitati, moderationi, concordiæ, inprimis necessarium. Quam in homines reducat Is, qui perpetuò concors, nunquam sibi adversari potest. Cui commendatus feliciter age, quod agis, LECTOR, & Vale. Gedani, 3. Calend. Martias. Anno 1659.*

DE

De OBEDIENTIA;

Exercitatio peculiaris.

1.

Bonam terram in Spiritualib. Salvator in classica parabolâ ap. Lucam C.8. describit, quòd semen corde bono suscipiat, illud servet, & fructum in patientiâ adferat. Bona terra Corda credentium sunt, quæ semen in se jactum recipiunt, quod verbum in nos insitum est, Jacob. 1. v. 21. Ac tribus maximè conditionibus malæ terræ oppositis agnoscitur. Retinet contra inhabiles, fructificat contra petrosos ac aridos, in patientiâ contra temporarios. Sermonem primò accipere & intelligere oportet, ne juxta viam simus. Deinde auditum firmiter retinere, ne supra petram sati. Deniq; obedire ei, ac fructus ferre doctrinâ dignos. Ex adverso improba terra tribus diversitatibus maximè innotescit. Secùs viam, & in petras, & inter spinas semen habet. Ista vix recipit, Illa receptum non retinet, & hæc suffocat, quod accepit. Communi voce universa bonæ terræ attributa Obedientiæ nomine comprehendas: Malæ Inobedientiæ voce. Persæpè Jehova ut summum mandati ab homine obedire requirit ac misericordiam, 1. Sam. 15. v. 22. Matth. 9. v. 13. C. 12. v. 7. Illud, ne quid contra DEUM designet: Hoc, ut & proximi curam suscipiat. Quibus totam legem exhauriri scribam Christus docet Luc. 10. v. 27. Ipsa fides Christiana Obed. nomine in sacris frequenter exprimitur, t. 4. Ac in Ethicis, Politicis, Oeconomicis, Juridicis, Theologicis, classica Obed. occurrit mentio, passimque & homiletica & Polemica de eâ resonant. Digna inde res visa est, quæ in accuratiorem deductionem deducatur, & quæ Obed. natura sit, qualis, quotuplex sit, in quibus inveniatur, quibusvè modis se habeat, spe-

 at, spe-

at, ſpecialiùs repræſentetur. Quod hac diatribe CUM DEO, cui omnes obedientiam debemus, expeditum dare conſtituimus.

2. *Obedientia tractari & præcognitivè* queat, & cognitivè. *Illud tripliciter. An detur? ubi detur? Et ubi ac quomodo conſideretur?* Dari eam communi omnes conſenſu confitentur. In Juridicis *L. 2. Digeſtor. t. 3.* In Jure Canonico *Cauſ. 8. q. 1. C. 10. Et L. 1. decr. Greg. t. 33.* extat titulus *de majoritate & Obedientiâ, Theologicis, Ethicis*, paſſim ejus mentio eſt, ut *t. 1.* dictum. *In Ethicis* in ſemivirtutibus numeratur. *In Theologicis* in Caſibus Conſcientiæ ventilatur, ut ap. *Ameſium, Balduinum, Alſtedium, Toletum, Navarrum*, alios videre eſt. In ſacris prima ejus mentio *Gen. 3. v. 17.* eſt. Poſtea frequenter per utrumquè Teſtam. repetitur. *In re etiam dari*, non in ſolo mentis conceptu eſſe ſuum eam habere, eſſentia ejus docet, in actu, opere, habitu, vel ſemihabitu & habitudine aliquâ hominis conſiſtens, *ut t. 5.* patebit. *Ubi autem conſideretur*, variè aſſignari queat. Generalis & abſtracta Obedientie ratio ac formale cuinam diſciplinæ addici debeat, non facile liquet. *Ritſchel* ad Metaphyſicam eam rejicit *p. 2. Meta. C. 4. t. 15.* Alii ad Jurisprudentiam pertinere cenſent. Alii aliter. Ad Metaphyſ. non pertinere Objecti Metaphyſ. ratio ſatis docet, quod Ens ut ens, & quæ ei competunt, eſt. Obedientia autem non eſt affectio entis, ut ens in generali eſt, ſed ut Civis, Chriſtianus, moratus, Scholaſticus, in ſpeciali eſt, ut animal rationale, Politicum, ſociale, ſpirituale & Eccleſiaſticum, ac ſimile eſt, eoq; Metaphyſici fori in abſtracto ſuo eſſe propriè non eſt, quod entis conſiderationem non egreditur, ut in Metaphyſ. pluribus docetur.

3. Ut generalis ejus habitudo Politica & civilis attenditur, Ita partim in *Ethicis* in ſemivirtutibus, Partim in *Politicis* de imperante & parente, magiſtratu & ſubdito, proponi, & natura ejus repræſentari debet. *Ut Oeconomici* aut Scholaſtici muneris reſpectum involvit, ita ad Oeconom. aut Scholaſticam aliquid de eâ in ſpecie tradi & memorari poſſit. *Ut ſpiritualis fori* eſt, & DEUM ac res ſpirituales DEIq; mandata reſpicit, Quomodo DEO obedire frequenter jubemur, & Inobedientia quaſi peccatum ariolandi eſſe

dici-

dicitur 1. *Sam.* 15. Ut *t.* 62. dicetur, Ita in Theol. practicâ & Casuum tractationem sortietur. Quomodo Scholastici eam ad *sec.* 2.*Thomæ q.* 104. 105. tractare solent. Alii in libris de *Iustit.& Jure* eam persequuntur, ut *Lesſius L.2. d. Iuſt. C. 46. d.* 4. Et breviter tangit *Strevesdorf. q. 80.d. Juſtit.* Sic in Theologiâ Casuum *Amesius L.*5. C. 19.20. *Alstedius* C. 3. *t.* 4. C. 12. *t.* 7. *Balduinus L.* 2. *Caſ. C.* 8. *aliiq;* eam tractant. In doctrinâ de pœnitentiâ, quæ praxis aliqua Theologica est, & ad practicam Theol. partem pertinet, Vt *Epit.Th. L.2.C.*5. visum, Novæ Obed. mentionem inspergere solent, *V.t.* 12. Similiter in *Catecheticis* ad 4. præceptum mentio ejus de honorandis parentibus occurrit. *In Polemicis* multa de eâ moveri solent, ut controversiæ cum *Pontif. Arminianis, Socinistis,* docent, ac *t.* 10.*seq.* patebit. *Ut abstractè ejus natura* à Civili & spirituali spectatur, & ut in utraque locum habens generaliter sistitur, Ita in peculiari tractatione natura ejus, affectio, principium, subjectum, Divisio, Cognatum ac Oppositum inquiri, distinctéq; ad cognoscendum repræsentari potest. *Sic maximè præſenti Tractationi* objicienda veniet.

4. Ita præcognitio Obed. expedita. *Cognitio nominalis ac realis* esse queat. *Nominalis* 1. *in homonymiâ.* Ita vox Obed. quandoque *generalissimè* sumitur pro omni promptitudine & expeditione ejus, quod cupitur aut mandatur, sive ab intellectuali, siue animali, sive inanimatâ & insensatâ etiam re expediatur, quomodo ventus & maria Christo obediisse, *Matth.* 8. Omnia creata DEO obedire, *Sirac.* 39. Morus Apostolis, *Luc.* 17. *v.* 6. Et DEUS Josuæ obediisse dicitur *Jos.* 10. *V.t.* 15. Vel cum Obed. in genere dicitur, siue in bono, siue in malo sit, seu superiori legitimo, seu illegitimo facta, quomodo impii diabolo obedire dicuntur, *V.t.* 38. *Quãdoquè generaliter* omne virtutis opus notat, quo præceptum impletur, etsi non illa speciali intentione fiat, ut præcepto satisfiat. Quomodo omnes virtutes actum aliquem sub præceptum cadentem habentes obedientiæ dici possunt, ut temperantia, justitia, liberalitas. Honesto enim in omni virtute obeditur, & obedientia materialis ad omnes virtutes

ſe extendit, *V. Thomam ſec. 2. q.* 104. Ita ipſa fides in Theolog. generaliter obedientia dicitur, ut poſt dicetur, etſi ſimul opus DEI vocetur, *Joh. 6. Coloſ. 2. v. 12.* Quandoque ſemivirtutem & probam diſpoſitionem acquiſitam in homine notat, præſcriptum ſuperioris legitimi implere faciens; quomodo & pro actu primo ac principio obediendi, & pro ſecundo ac ipſa obeditione ſumitur, Ut *Dec. 3. miſ. d. 9.* notatum. Hoc ſignificatum in Ethicis maximè attenditur & frequentatur. Interdùm in ſacris perfectam Chri. Obed. per totam vitam agendo ac patiendo DEO exhibitam notat, *Rom. 5. v. 19. Hebr. 5. v. 8. Phil. 2. v. 8.* Interdùm ſpiritualem illam virtutem in renato, DEO & divinis ratione DEI & ſpiritualis finis parendi, ut in Theologicis, *V. 1. Sam. 15. v. 22. Eccleſ. 4. v. 17.* Hinc filii obedientiæ, *1. Petr. 1. v. 14.* Qui poſt renaſcentiam ad voluntatem DEI ſe accommodare conantur, vel qui deditì, addicti, devoti & ſacrati illi, ſueti ac exerciti in eâ, & parati ad eam, Quibus filii inobed. & Belial opponuntur, *t. 38. Quandoq;* pro fide ac receptione Evangelii accipitur, *2. Cor. 10. v. 6. 1. Petr. 1. v. 2.* Unde paſſim obed. fidei in ſacris dicitur, *Rom. 1. v. 5. C. 6. v. 17. C. 15. v. 18. C. 16. v. 26.* Et obedientes pro credentib. ſumuntur, *Act. 5. v. 32. Rom. 6. v. 17. Gal. 3. v. 12.* *Quandoque* pro ipsâ juſtitiâ, cui obeditur, ut *Rom. 6. v. 16.* ſervi obeditionis ad juſtitiam, pro ſervi juſtitiæ ad obediendum, ut peccati ad mortem ſervi ſunt, qui peccato obediunt. *Interdum generaliter* obſequi alicui in intelligentibus obedire dicitur, ſive ſuperior ille, ſive inferior, ſeu par, amicus, inimicus, notus, ignotus ſit. Sic amicis, monitoribus, Conſultoribus, quandoquè & inferioribus obſequimur, ut Abraham Saræ, *Geneſ. 16. v. 2. C. 21. v. 2.* Siſſera Jaëli, *Judic. 4. v. 18.* Tiglatpilneſſer Aſſyrius Regi Ahas, *2. Reg. 16. v. 9.* Etſi ſuperiores illis. Quandoque omnem legitimè parendi habitudinem à civili & Theologicâ abſtractam, in utraquè reperiendam notat, quomodo in *Phil. Theolog. Juridicis*, obed. rationem occurrere videmus, ut *t. 3.* notatum. Sic maximè hic ſumitur, & hoc Tractatu tradendo decurretur, ut progreſſus docebit. 2. *In Etymologiâ*, quomodo Logicè ut vox ultima-

tè

te, abstracta aliunde non derivatur, sed ipsa prima radix omnibus à se denominatis Logicam appellationem præbens est, ut obediendo, obedire, obedibili, &c. Sic Bethania *Joh. 12. v. 1. Matth. 21. v. 17. C. 26. v. 6.* dicta quasi domus obedientiæ, ex quâ Christus in Jerusalem ivit, obediturus Patri usque ad mortem, *Phil. 2. v. 8.* Grammaticè ab obædiendo & obaudiendo dicitur, quod superioris præscriptum audiatur. *3. In Synonymiâ*, ubi & obsequentia, obeditio, observantia, submissio, Obsecundatio, Paritio, Etsi quandoque & hæc differant, *t. 57.* Quandoque parentia *Navarino adag. sacr. n. 749. Et L. 2. elect. sacr. c. 11.* Græcè ὑπακοὴ, subauditio εὐπείθεια Hebræis Mischmaad, à schamah, audivit, exaudivit, Item jickhah, aggregatio, Collectio, obed. *Prov. 30. v. 17.* Germanis gehorsam / gehorchung / folgung / alijs aliter vocatur. Periphrasticè & hieroglyphicè variè designatur & applicatur. *V. t. 8.*

5. Cognitio Obed. realis absoluta in definitione, principijs, Objectis, subjectis, affectionibus, effectis, divisionibus, & speciebus esse potest. *Ex definitione Obedientia est affectio proba intellectualis subjecti*, aliquid sub ratione præcepti à superiore legitimo in legitimis æquitatis gratiâ expedire faciens. *Genus* hic est proba affectio, quia commodius dari non potest, h. e. habitudo, accommodatio & qualitas subjectũ verè perficiens, determinans. In Theologicis virtutem, Ut *t. 47.* In Ethicis semivirtutem, ut *dec. 3. misc. d. 9.* dictum, In utrisq; affectionem verè subjecto suo competentem vocare possumus. Nam & verè ipsi competit, *ac* essentialiter & generaliter de eâ prædicari potest, sive virtus sit, s. semivirtus, s. affectio in generali, ab habitu abstracta, & ad utrumq; indifferens, verè affectio vocari potest, habitudo aliqua verè subjecto suo competens, illudq; per eam determinans ac denominans: *Et* generalius ipsâ ac non conversim sive reciprocè de eâ prædicatur, Obed. est affectio, sed non vicissim, affectio statim est obedien. Nam & Observantia, Continentia, est affectio, non autem obed. Quod autem ita prædicatur, verè tanquam genus prædicatur, Ut *dec. 3. Misc.* ostensum. *Cætera differentiæ loco* sunt, & ab objecto, Subjecto, & fine sumpta. *Objectum* hic præcep-

tum vel præſcriptum, placitum, inclinatio, voluntas legitimi ſuperioris eſt. In hoc quaſi formale Obed. eſt, quo ab alijs vel virtutibus vel probis affectionibus diſcernitur. Ubi aliquod debitum ſub ratione legitimi præcepti vel placiti peragitur, ibi Obed. eſt, & viciſſim. Ad hoc enim volendum ac exequendum hæc habitudo directè ac per ſe inclinat. Et præceptum hic latè ſumitur, ut omne placitum & cupitum ſuperioris comprehendat, etiam nutum & inclinationem, etiamſi propriè non præcipiat. Sic qui ſtatim cognitâ inclinatione ſuperioris opus facit, obedire dicitur. Sic *Albertus M. d. virt. C. 3.* verum obedientem nunquam præceptum exſpectare, ſed ſolam voluntatem Prælati ait. *V. & Bernhard. d. præc. & diſpenſ. col. 6. Ita* milites phalangis apud Græcos ad nutum monentis intenti ſigna ſequi didicerunt. *Curt. l. 3. C. 2.*

6. *Objectum Cui eſt* ſuperior legitimus & imperandi jus habens. Vbi talis non, ibi obed. propria non, ut in Chro DEO, t. 13. Etſi in eo ut homine ſit. Ita Sathanas non eſt legitimus ſuperior hominis, unde obedientia illi propriè non debetur. Quæ à magis, Impijs, & filijs Belial præſtatur, colluſio, conventio, conſenſio, factio & conjuratio magis eſt, quàm obed. Potius inobed. eſt, *Vt. t. 38.* dicetur. Conſultori cùm obeditur, non ſtricta obed. ſed accommodatio ad præſcriptum alterius ex motu ſpontaneo facta eſt, & analogon quid Obed. eſt. *Obſequi* enim *in genere eſt directionem alterius ſequi.* Quod vel ex neceſſitate obligandi fit, & eſt Obedientia, vel ſpontaneo motu, & eſt Obſequentia. Vnde Obſequi & obedire, **folgen und gehorſamen** / diſtingui poſſit. Illud & paris in parem, & conſilium Conſultoris, hoc inferioris in ſuperiorem eſt, & mandatum imperantis pro objecto habet. Obſequimur officio, Obedimus præcepto, Conſequimur ſtudio, Proſequimur ordine, aſſequimur voto, perſequimur injuria. *Conſ. t. 57. Ratio objectiva in Objecto quod eſt debitum authoritati* ſuperioris præcepti ratione, non quòd ſemper in commodum ejus faciendum, ſed quòd ex præcepto ita neceſſum, ut ſine aliquo contemptu & vilipenſione interpretativa authoritatis ſuperioris ejus executio nequeat prætermitti. Sic DEO aliquid revelante Objectum ad credendum neceſſarium

fit

sit Creaturæ, ut sine injuria primæ veritatis fides ejus prætermitti nequeat. Ex revelatione divinâ res fit digna creditu, ac necessariò credenda: Et ex præcepto divino res fit digna factu, & necessariò facienda. Ex dignitate eâ movetur porrò Obed. necessitate, ut necessaria sit factu, ne superioris authoritas violetur. Tutò enim DEO creditur, nam prima ipsa Veritas, Obeditur, nam ipsa benignitas est, ut *præf. Misc. Th.* dixi. *In objecto Cui* obeditur, est superioritas & potestas superioris. Ideò superiori obediendum, quia legitimus superior est, & potestate imperandi præditus. Sicut ideò credendum DEO, quia prima veritas est. Sive potestas ex ratione Causæ ad effectum, ut in DEO ad Creaturam, patre ad filium, sive totius ad partem, ut Reipublicæ ad membrum, sive agentis ac patientis & instrumenti, ut mariti in uxorem & servi in herum redundet.

7. *Ex primâ radice* velut potestas Ecclesiastica descendit, quæ in cultu divino & ad finem spiritualem gubernat. Sic à DEO primâ rerum Causâ in Christum hominem plenissimè ac illimitatè descendit, *Matt. 28. v. 18. Ephes. 1. v. 21. seq.* Ab illo in omnes legitimos ordines Ecclesiasticos, quos ipse suo corpori mystico regendo, Ecclesiæ, præstituit, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, 1. *Cor. 12. v. 28. seq. Ephes. 4. v. 11.* derivatur, qui potestatem omnes à Chro habent, & quibus membra inferiora consequenter obedientiam debent, Cum pro Chro docent ac præcipiunt, *Matt. 23. v. 3. Luc. 10. v. 16. Ex secundâ* per commissionem omnis potestas Politica Imperatorum, Regum, Principum, Comitum, Nobilium, Magistratuum descendit, & consequenter omnium eorum, qui ab his authoritatem habent. Libera enim Respubl. per se & ex Naturâ rei potestatem regendi se & membra sua habet, unde alteri, uni aut pluribus secundùm varias limitationes & conditiones, prout utile videatur, eam committere potest. Vnde omnes subditi illis in legitimis obedire tenentur. *Rô. 13. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13. Sap. 6. v. 4. seq. Ex tertiâ* potestas privatim imperandi & functiones constituendi derivari potest, ut est potestas in

domo

domo, mariti in uxorem, utriusq; in liberos, servos, ancillas, & similes. Vnde hic subjecti etiam superioribus suis legitimis obedire tenentur. *Ephes. 5. 6. Ex Subjecto intellectualis subjecti* Obed. esse dicitur. Non intelligentia subjecta impropriè & æquivocè obedire dicuntur, Vt *t. 4. 15.* constat. *Finis est æquitas*, sive ea spiritualis, s. civilis sit, hoc est, Quæ juri ac honesto conveniat. Et latissimè fundi potest. Sic DEO obtemperatur, ut honor exhibeatur, Reipublicæ, Vt salus & status ejus servetur, Medico, ut sanitas recuperetur, morbus pellatur, Præceptori, ut aliquid artis addiscatur, &c. Si finis inhonestus, impius, illicitus sit, non obedientia, sed conjuratio est, *Ut t. 6.* visum. Ex sequentibus hæc pluribus constabunt.

8. Ita *definitio Obed.* fuerit. *Causæ & principia ejus* ex *t. 6. 7.* ferè patere possunt. *Efficiens prima est* DEVS, prima radix omnis potestatis & superioritatis in alios, *Rom. 3. v. 1. 1. Pet. 2.* Et consequenter obedientiam ad superiores inferens, jubens, promulgans, & compensans. Vnde tot præcepta ac monita DEI de obædiendo in sacris extant. Primum omnium de eo *Gen. 2. v. 16.* Vltimum *Apoc. 22. v. 17.* extat. Et comminationes de inobædiendo, sævaq; supplicia in contumaces exercita, Prima *Gen. 2. v. 17.* Vltima *Apoc. 22. v. 15. 18.* extat. Intermedii libri minis exemplisq; refertissimi sunt, ut inquirenti patet. Et prout potestas à DEO vel per positivam ordinationem, ut Ecclesiastica, vel naturalem rerum institutionem provenit, ut Politica: Sic consequenter & Obed. potestati debita ex eodem fundamento duci potest, Vt vel positivæ ordinationi, vel rerum naturali institutioni obediatur. *secunda Causa ejus Natura est*, quibusdam subjectis eam inferens ac implantans, Vnde quosdam à naturâ longe ad obtemperandum proniores, alios ad reluctandum inclinatiores videmus, quomodo quidam placidiores, alij pugnaciores & rixosiores nascuntur, & ingeniorum ac inclinationum mira varietas in Orbe humano animadvertitur: *Cura, Institutio, Informatio, Metus DEI*, præceptorum DEI & superiorum frequens meditatio, Observantia ac reverentia eorum, qui superiores & præesse Nobis possunt, meditatorum infixio, ac ad obediendū itera-

iterata præparatio, humilitatis, vilitatis, imbecillitatis suæ jugis consideratio, utilitatis, necessitatis, dignitatis, jucunditatis, in Obed. in vitâ spirituali ac civili diligens animadversio, præmii ejus & pœnæ contrarii sedula observatio, quæque similia media sunt, quibus Obed. parare in utraque vitâ licet, quæ ap. *Bernhardum, Drexelium, Laur. Justinianum de Obed. Polyantheas, & Homileticos Scriptores* deducta videre possis. *Materia ex quâ* nulla est, quippe merum accidens ea: *In quâ subjectum*, & circa quod Objectum est, de quo *t.7.5.* Forma ejus ipsa Obed. essentia definitione expressa est, *t.5.* *Finis* ultimus gloria DEI, quorsum omnia à Christiano tandem dirigenda, *1.Cor. 10.v.31. Colos.3.v.17. 1.Petr.4.v.11.* *Intermedius* utilitas, æquitas, & salus publici ac privati, spiritualis & civilis status est, ut omnia piè, honestè, ordinatè decorè, & compositè in utroq; administrentur, quod sine obedientiâ præstare non datur. Verè n. Alexander M. Regum Ducumque clementia non in ipsorum modò, sed & eorum, qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia. Ubi verô reverentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est, ut vim repellamus, *ap. Curtium L. 8. c. 8.* Veteres aras Deorum circumierunt, obedientiam ac parentiam suam notaturi. Circuitus quidam ejus, Rota ejus signum, Cursus circa aras, Volubilis sphæra, perfectus circulus est. Per Obed. aurea ad Cœlum via est, noxia propriæ voluntatis vertigo est, quæ & similia ex Patribus ac Gentilibus multis deducit *Novarinus L.2.elect. sacr. c. 11. 12. seq.*

9. Ita *definitione & principiis Obed.* discussis; quædam, quæ circa hæc moveri queant, examinanda. *Quæritur 1. An Obedientia virtus sit, an non, & Cur non virtus definita sit?* Obed. spiritualis virtus esse potest, & sic in Theologicis appellari solet. *V.t.47.* Ethica ac moralis semivirtus & proba dispositio dici solet, non plena virtus. Non n. qualitas ultimam & facilitantem perfectionem subjecto concilians est, quæ actum ex habitu prodeuntem faciat, sed ad eum inclinat ac disponit, ut *Dec.3. Miscell. d.9. t.7.* dictum. Cũ utrumque, ut hic traditur, complectatur, rectiùs generali voce affectio

definita est, quàm speciali, virtus. *V.t.5.* 2. *An ipsa observantia sit, an ab eâ distincta?* In Theologicis pro iisdem sæpè sumuntur. Ut cum hominem observantiâ seu obedientiâ mandatorum DEI justificari posse contra Armin.& Socinianos negamus, *t.* 11. Propriè non ipsa est, sed ex illâ hæc proficisci potest. Observantia est affectio cultum superioribus & excellentioribus, qui nos gubernare queunt, deferens. Vel ut *Augustinus l.83. qu.q.31.* definit, est, quâ homines dignitate antecellentes cultu & honore dignamur. Ex hac Obed. oriri potest, affectio, jussum aut placitum legitimi superioris debitè expedire faciens. Ubi cultus prior, placiti aut jussi expeditio posterior est. Analoga ei est observantia, non idem cum eâ, *t.52.* 3. *An omnis libera esse debeat,* h.e. Vt & non obedire queas? *Arminiani* affirmant, *V.t.16. 18. 25.* Sed de solâ Ethicâ ac morali obedientiâ id fortè procedat. In spirituali falsissimum est, ut in Chro homine, angelis bonis, hominibus beatis in futurâ vita in bono confirmatis patet, qui DEO obediunt, ut non possint inobedire. Et quorum obedientia perfectissima est, *t.18.* Ita inter Diabolos inferiores superioribus obediunt, cum ordo quidam inter eos, *Matth. 12. v. 24. Luc. 11. v. 26.* Et tamen nonnisi mala agere possunt, non mala & bona simul. *Deinde* nec Ethica Obedientia semper est libera, h.e. spontaneo & libero motu suscepta. Nam & coacta ac imperio extorta esse potest, &, tamen obedient. est. Vt cum servus ex imperio hero, discipulus præceptori, facinorosus lictori & Carnifici obedire cogitur, ut si non obediat, pœnam timere necessum habeat. Vbi obed. est, nec ex spontaneo motu libertatis profecta est. Obed. ut sic, ad liberum & coactum naturâ sui indifferens esse videatur. *V.t.50.*

10. 4. *An spiritualis obed. fidei justificantis forma sit & dici possit?* Ajunt *Sociniani. Socinus syn.2.d.justif.f.8.11. Not.ad Dialog.d.justif.f.25.n.16. Fragment.d.just. f.53. De fide & op.f.54.seq. De Servatore, p.4.c.11. Et L. Quod Evangel.c.4. ac passim, Smalcius d. 6.c. Frantz. t. 53.seq.70. Et divin. Chr.c.14. Cateh. Racoviens. c. 9. Ostorodus Inst. c. 2.f.1.* Nec multum abludunt *Pontificii, Lapide in Iohan. 6.v.29.*

Ar-

Arminiani sibi hoc tributum manifestam calumniam vocant, *Apol. c. 10. p. 110.* Et se ut causam ac effecta hæc distiguere aiunt. Sed *p. 111. 4. Obed.* genus & causam fidei s. foecundam matrem obedientiæ istius Evangelicæ, de quâ hic agatur, faciunt. At genus rei sanè ad formam ejus pertinet, ut actio ad Sacramenti, qualitas ad caloris, quantitas ad numeri & magnitudinis, actio ad justificationis. &c. Ita se per obedientiam fidei ipsam fidem, quà opus nostrum s. actus obed. nobis à DEO præscriptus, gratiæq; divinæ auxilio à nobis præstitus est, intelligere aiunt. Ubi sanè fides & obed. fidei unum est. *Similiter Corvinus c. Tilen. f. 61.* fidem obed. à DEO requisitã esse asserit. *Apologiâ item c. 10. p. 114.* nec ciccum interdui aiunt, an formam fidei Obed. voces, an effectum, fructum, fœtum, sine quo esse nequeat. Quantulum hoc sit? Litem de respectibus Metaphys. aiunt. Ac *Socinistæ* inter fidem & obed. ceu causam & effectum distinguere didicerunt, ut ex *Slichting. c. Meisn. d. 1. p. 326. Et in cap. 11. Hebr. v. 8. 9. Socino c. 17 præl. Smalcio c. Fran. d. 6. t. 63.* constat. Et tamen obedientiam veram fidei formam docent. Ac Armin. in negotio justificationis eam ut opus s. actum nostrum spectari docent, ut c. l. alibique patet. Quod ipsum & *Socinistæ* volunt. Hactenùs ergò illis consentiunt.

II. Falsò omnia. 1. *Quia* in justificando perpetua fidei & operum apud Paulum est oppositio. Credenti, non operanti, *Rom. 4. v. 5.* Fide, absque operib. *Rom. 3. v. 28. C. 4. v. 6.* Non ex operibus, sed per fidem, *Gal. 2. v. 16.* Non ex operibus justitiæ, sed sua misericordia, *Tit. 3. v. 5.* Etsi generaliter fides obedientia in sacris vocetur, *t. 4.* Specialiter tamen ut obed. opus à fide manans & consequens est, in justificando fides & opera opponuntur. 2. *Quia* legis & Evangelii distinctio idem requirit. Lex non est ex fide, *Gal. 3. v. 2.* Sed Justitia Evangelii est ex fide in fidem, *Rom. 1. v. 17. C. 3. v. 22. Gal. 3. v. 10. 12. 13.* 3. *Quia* author ad Hebræos fidem definiturus non per obed. sed hypostasin seu substantiam & firmam fiduciam describendam censuit, *Hebr. 11. v. 1.* Prout vox ea tali sensu *Psal. 39. v. 8. Hebr. 3. v. 14. 2. Cor. 9. v. 4. C. 11. v. 17.* sumitur, Et per eam Abrahamum obe-

divisse demu n ait, *v.8.* 4. *Quia* exempla justificatorum idem docent, ut publicani, qui peccata confessus, *Luc.* 18. Mulieris peccatricis voci Chri obed. remittuntur tibi pec. tua, *Luc.7.v.48.* Et latronis in cruce verbo Christi credentis, *Luc. 23.v.48.* Aliorumque, in quib. bona opera nondum fuerunt, sed postea demùm sequi debuerunt. Quæ in contrarium moventur, alibi solvuntur. 5. *An Obed. nostra justificationis causa sit?* Ita aiunt *Socinistæ. V. Socinum d. justif. p.17. aliosq;.* Falsò. 1. *Quia* eadem Scriptura opera nostra à justificando excludens & obedient. nostram excludit, hæc n. propriè operum est, & in illis consistit. 2. *Quia* unius obed. Christi justitia super omnes venit, *Roman. 5. vers. 18. 19. cap. 3. v. 20. 22. 2. Cor. 5. v. 21.* E. non nostra. 3. *Quia* Christi sanguini nostra justificatio adscribitur, *Rom. 3. v. 25. c. 5. v. 9. Ephes. 1. v. 7. Col. 1. v. 14.* At si nostrâ obed. eam habere possemus, effusione sanguinis Christi opus non fuisset. *Gal. 2. v. ult.* 6. *An obedientia Evangelio præstita vera ac filialis sit, sive ex promisso vitæ ætern. s. ex comminatione mortis æt. sive ex utroq; oriatur?* Affirmant *Arminiani Apol. c. 11.* Sed ex falsâ hypothesi, quasi æterna hæreditas ex obedientiâ præceptorum accipiatur. Quæ propriè hæreditas est, & gratis ut donum DEI obtinetur, *Rom. 6. v. 23.* Non obedientiâ nostrâ. Merces quidem dicitur, sed indebita & gratiæ, *Matth. 5. v. 46. Luc. 6. v. 33.* Non debita & merita ex obedientiâ, ut latiùs con. *Pontif.* alibi docetur. Et veri filii ita obediunt DEO intuitu præmii, ut inprimis DEVM ob semetipsum ament, non ob commodum proprium. Inquè eo à servis ac mercenariis distinguuntur. Qui n. DEVM ob aliud amat, potius illud, quàm DEVM amat. Primaria radix obed. est, DEum ob Deum amare, secundò ob præmia aut promissa, Vt *Augustin. l. 5. d. C. D. C. 22.* deducit. Ipse DEVS merces nostra magna nimis dicitur, *Gen. 15. v. 1.* Summum bonum & sum. finis omnium est, Schaddai & sufficientia ipsa, ad omnia in omnib. nobis sufficiens, *Psal. 73. v. 25.* Ob seipsum ergò maximè colendus, ipsique obediendum est. Sufficis tu DEO, sufficiat tibi DEVS, ait *Augustinus.* Sic Philippus ad Christum, Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis,

Joh.

Joh. 14.*v.* 8. Et hoc prisci Rabbini ac Hebræi etiam agnorunt, ut *Antigonus Socheus*, qui absque spe mercedis Domini jussa exsequenda præscripsit, ut R. Moses & Joseph Ben Albo scopum ejus explicant, etsi discipuli ejus, Zadoc & Baytos, perverse id detorserint, & aliam post hanc vitam eum negasse inde collegerint, ut *Manasse B. Israel L.* 1.*d. res. mort. c.*6. *Et probl. d. Creat.* tradit.

12. 7. *An necessariò nexa sit persuasioni & notitia de salute non consequendâ, sed potiùs gehennâ incurrendâ, si non obediat & quis piè vivat?* Affirmant iidem *Armin. Apol. c.*11.*p.*112. Præeuntib. *Socinianis ut Socino d. caus. fid. Quem* Tractatum commendare solent, *& p.* 4. *d. seru. c.* 3. Falsò & hoc. 1. *Quia* veram & salvificam fidem hoc demùm consequitur, ut necessariò fundat opera & obedientiam, *Rom.* 5.8. *Gal.* 5. 6. *Jacob.* 2. *& alibi.* At ea longè plus est, quà talis de salute aut perditione persuasio, viva nempe notitia & fiducia gratiæ in Christo, ut alibi docetur. Beatitudo ejus est, cui DEus non imputat peccatum, *Psal.* 32. *Rom.* 4. *v.* 5. Non qui solùm de æt. vitâ persuasus est. Nec solis promissionibus præmii cœlestis cœlum ingredimur, ut *Socin. & Armin.* putant, sed plura requiri *Joh.* 17. *v.* 3. patet, & alibi docetur. 2. *Quia* experientia testatur, multis talem persuasionem firmam esse, qui tamen nec piè vivant, nec vivere cupiant, quòd obstacula pietatis, quibus irretiti, tollere nolint aut nequeant. 3. *Quia* cum notitiâ intellectus, qualis persuasio ista, non necessariò nexa est obedientia & consecutio voluntatis, nec præcisè ab intellectu practico ea ita determinatur, nt sequi cogatur, sed perpetuò libera manet, & obedire & non obedire potest, ut in Ethicis doceri solet, *& dec.* 3. *Misc. d.* 2. *t.* 11. ostensum, ubi & quæ in contrarium moveri solent, soluta. 8. *Quis sensus, cum Christum ex iis, quæ passus est, obedientiam didicisse dicitur Hebr.* 5. *v.* 8? *Cum potius ex obed. passiones didicisse dicendum videatur?* Quia nempè humanitùs & respectu nostri loquendo Obed. Christi Patri semper præstita eo ipso luculenter ostensa ac declarata fuit, quòd usque ad mortem crucis ignominiosissimam sponte se demiserit, eoquè apertissimè ostenderit, se obedientiam perfectè didicisse, ac facto ipso Patri perpetuò exhibuisse, nobisq;

exemplum reliquisse, quomodo in prosperis & adversis DEO perpetuò obedire debeamus, *Hebr.2.v.12. C.13.v.12.1.Pet.2. v.21.*
9. *An nova obedientia pœnitentium pars pœnitentiæ propriè loquendo dici possit?* Affirmant *Philippus ap. A. C. & exam. Ordinand.* Sed laxo sensu & cum quadam emollitione, Post eum *Pezelius, Philippistæ, Majoristæ, Socinistæ, Smalcius c. Franc. d. 2.d. pœn. f. 5. Ex Lutheranis Cramerus arg. Psal. 51. Chytreus in Catech. Sim. Pauli, aliique* simile quid interdum habent. *Alii* voces distinguunt de proposito & actu, ut *Hülseman. brev. c.9. Stegman. d.43. Phot.q.4.* Item de pœnitentiâ stantium & lapsorum, ut *alii.* Accuratè loquendo fructus ejus est, non pars, & sic à Scripturâ, *Matth.3.v.8. Luc. 3.v.8. Act.26.v.20.* Et *August. Confess. a. 12.* appellatur. Et ex *Socinistis Schlichting.c.Meisn. q.un.p. 32.* concedit. Fructus a. consequens rei propriè est, non pars. Contritio & erectio propriè partes pœnit. sunt, ut *Epit. Th. l. 2.c.5.* dictum. Neutrum nova obedient. est. Sic latro in cruce verè pœnituit, Contritionem & erectionem exseruit, Sed novam obedientiam eo tempore exserere non potuit. *Luc.23.v.42.*

13. *Subjectum Obed. est, Cui ea competit ac inesse potest.* Hoc omne suppositum Intelligentis naturæ est, *t.7.* Bruta, inanimata, insensata, impropriè obedire dicuntur, t. *4. 15.* DEO obedientiã Nemo tribuere solet. Imperium enim in omnes & omnia habet, Cui obed. omnes debent, Ipse nulli, Cum nullus ullum jus in eum obtinere posit, *Esai. 40. v. 12. seq. Job. 41. v. 2. Rom. 11. v. 35.* Si creaturæ obedire dicatur, admodùm æquivocè fit, *t. 15.* Cœteris obedientia adscribi solet. Ita partim DEI filius, partim angeli, partim homines hoc sunt. DEI filium, hoc est, Chrum DEO Patri obedivisse in sacris sæpiùs dicitur, *Esai. 50. v. 5. Job. 15. v. 11. Rom. 5. v. 19. Phil. 2. v. 8. Hebr. 5. v. 8. C. 10. v. 7.* Interdum obedientia Chri in sacris dicitur, quam nos erga Chrum exhibemus, ut *2. Cor. 10. v. 5.* Ut genitivus Objecti sit, erga Chrum, non subjecti. Sic Chrus pernoctans in Oratione DEI, *Luc. 6. v. 12.* h. est, ad vel erga DEUM. Hic obed. ab ipso Chro exercita notatur. Et de eo, quà homo fuit, explicari solet, ac sine Controversiâ est. Quæri tamen

de eo

de eo solet 1. *An & ut DEUS Patri obedire dici posſit?* Affirmat *Cyrillus l. 10. theſ. C. 8. ex* 1. *Cor. 15. v. 28.* Sed illud rectiùs subordinari, quàm subjici reddi *in Apol. pr. Trin. t. 46.* monui, *Hilarius* obsequium & obedientiam filio DEI ad Patrem tribuit *L. d. Synod. Et L. 4. & 5. d. Trin. Baſilius & Epiphanius aliíq;* similia habent, ut multis *Dorſcheus d. Conc. Syrmien. ſ. 3. C. 4.* deducit. *Flacius* eum obedire Patri dixit *Clau. Voc. Jehova.* Item *Formula Concordiæ art. 3.* Reprehensum in eâ hoc fuit à *Bellarmino Iudic. d. Fo. Con. er. 1. & bre. Apol. er. 1.* Sed defensum à *VVirtembergicis reſp. ad jud. Bell. er. 1. In Cantione,* **Nun frewet euch**/ canitur *v. 6.* **Der Sohn dem Vater gehorſam war/ Er kam zu mir auff Erden**/ etiam de filio ut DEO intelligendo; Omnesq; *Lutherani For. Concord.* absolutè recipientes ac mordicùs in omnibus ei adhærentes affirmare coguntur. Cœterorum moderatiùs ei adhærentium alia ratio esse potest. *Arius* olim docuit, Chrum patre esse minorem, eoq; non imperare, sed imperia Patris excipere & exequi, ut *Ambroſius in Luc. 5. v. 12. Et Lapide in Matt. 8. v. 3.* notant. *Ariani* Chrum ut DEUM & Verbum obediuisse dixerunt, Ut *Idem Phil. 2. v. 8.* tradit. Si obed. proprio sensu sumatur pro affectione, quâ subditus superioris sui mandata exsequitur, nequaquam id dici potest. 1. *Sic enim* obedire semper inferioris ad superiorem, & minoris ad majorem est, ut imperare superioris, Cui parere dicitur is, qui obedit. Filius a. DEI ut DEUS perfectè æqualis Patri suo est, ut, unus idemq; DEUS eiq; ὁμοούσιος. Inter æquales a. nunquam veri nominis obed. est, sed Communio tantùm, consensio, ὁμόνοια, & in Trinitate ὁμοουσία. 2. *Si filius* DEI ut DEUS Patri obedit, utiq; ut DEUS à Patre distinguetur. Hoc enim significatur voce ut, Chrum, qui persona divina est, obedire Patri secundùm deitatem. Quomodo homo ut Musicus canit, ut Medicus curat, hoc est, secundùm formam & scientiam Musicam canere, & Medicâ curare dicitur. At sic alius Deus Pater, alius filius erit, & sic duplex deitas & deus erit, non unus tantùm verus DEUS erit. Constat a. Patrem esse verum DEUM. E. filius non erit verus

DEUS

DEUS, nec Patri ὁμοούσιος ut in Niceno Symbolo tamen confitemur. Qui enim obedit, distinguitur ab eo, cui obedit. Inde Christus qui secundùm deitatem obedit, secundùm deitatem à Patre distinguetur. Sic non unus cum Patre DEUS manebit, sed alius DEUS obediens erit, alius, Cui obeditur.

14. *Dices I. Alia persona* hic sufficit, quæ obedit, alia, cui obeditur. Et sic in Trinitate alia & alia persona est. R. Non sufficit, sed & formale significatum termini adesse oportet, quod hic est deitas, Cum Christus quà DEUS s. secundùm deitatem obedijsse Patri dicitur. De hoc enim formali quæstio propriè instituta est. Et sic alia deitas, quæ obedit, erit, alia, cui obeditur, ac duplex deitas erit, & filius quà DEUS à Patre diversus erit. Actiones quidem & passiones suppositorum & personarum esse ertum est. Sed cum de certo formali in personâ aut supposito quæritur, non sufficit personam nominare, sed præter eam & formale illud exprimere oportet, secundùm quod aliquid ei convenire vel non convenire dicatur. Quod hic deitas Christi est, Cum in Christo duas formas vel naturas, divinam & humanam esse, confiteamur. Et determinatè quæramus, an & secundùm deitatem filius DEI Patri obedijsse dici possit. 2. *Filius DEI* ut DEUS à Patre in mundum missus est, ut carnem assumeret, & in eâ mundum ac genus humanum redimeret. *Joh. 3. v. 17.* Et hoc filius executus est, Patriq; obedivit. Et sic etiam ut DEUS obedijsse dicitur. R. *Missio* non semper inferioris ad superiorem est, ut cum herus servum, præceptor discipulum mittit, quomodo Ariani olim ex missione inferioritatem filij ad Patrem colligere voluerunt: *Sed quandoq; paris ad parem est*, quomodo amicus amicum hortando mittit, Et superioris ad inferiorem, quomodo hic superiorem orando mittere potest, Vt discipulus præceptorem, servus herum ad negotium aliquod expediendum exorare potest, Vrbs aliqua Regem & Principem ad legationem magni momenti mittere potest. Sic Filius mittit paracletum à Patre, *Johan. 15. v. 26.* Nec paracletus inferior Christo est, aut illi obedire propriè dicitur.

15. Mis-

15. *Missio in divinis non jussionem aut imperium, sed processionem & originem unius persona ab alia* cum novi effectus connotatione significat. *Augustinus* filium mitti esse filium nasci, & Sp. S. mitti esse Sp. S. procedere ait, *L. 4. d. Trin. C. 19. 20.* Missio est *vel per imperium*, quomodo æger à Medicis ad capiendam Medicinam in thermas mittitur, vel qui à superiorib instruuntur, mittuntur, *vel per naturalem productionem*, quomodo arbores flores, ramos, fructus emittere dicuntur, *vel per hortatum* & rogatum, quomodo cliens advocatos mittere potest. Si Obed. vocem largiùs sumas pro qualibet consensione, executione, expeditione, promptitudine, quâ promptè & alacriter capessitur aliquid & expeditur: Ita & filium DEI ut DEUM Patri obediisse dici potest, h. e. voluntatem ejus promptè expediisse, ei consensisse, eadem cum ipso voluisse. *Joh. 5. v. 30. C. 6. v. 38.* Ita omnes Creaturæ DEO obedire dicuntur, *Sir. 39. v. 37. C. 42. v. 24.* Ventus & mare Christo obediunt, *Matth. 8. v. 27. Marc. 4. v. 41. Luc. 8. v. 25.* Leones, lupi, serpentes, fluvii, sanctis obedierunt. *V. Beyerling. Poly. Voc. Obed. l. 13. p. 8.* Canes assuefacti heris ad jussa obedire solent. Corvi Eliæ & Paulo eremitæ obedierunt. *Lapide 1. Reg. 17. v. 6.* Adamus voci Evæ obedivit, *Gen. 3. v. 17.* Et superior illâ. DEUS voci hominis obediisse dicitur, *Jos. 10. v. 14.* Deus servorum suorum precibus obedit, ait *Author d. mirab. Scri. ap. Augustin. T. 3. L. 2. C. 4.* Et tamen illis superior. *V. t. 4. Tertullianus* τὸ unum Joh. 10. ad obsequium filii, qui voluntati Patris obsequitur, pertinere ait *c. Praxeam*, *Vt Meth. d. Trin. t. 31.* allegavi. Obsequentia a. latior Obed. est, *t. 6.* Hæc obedientia prorsus impropria est. Et sic Patres quidam locuti, V. t. 13.

16. 2. *An & Patri non obedire, & ab eo dissentire, adeoq; peccare potuisse Christus dici possit?* Affirmant *Arminiani in spec. calum. s. 2. n. 18. Et praef. p. 31. Et Apol. C. 17. Episcopius resp. ad def. Cameron. C. 13. Sociniani* Christum etiam pro seipso suisque infirmitatib. & perpessionibus, quæ peccata impropriè dicta, DEO obtulisse asserunt ex *Hebr. 7. v. 27. Socinus prael. C. 29. Smalcius d. div. Chr. Slichting. ad Hebr. 5. v. 2. 3. C. 7. v. 27. Crellius* Christi carnem omnes occasiones ad pec-

candum invitare ac irritare potuisse, quæ nos possunt, ait, *l. 2. d. un. Deo, s. 3. p. 621.* *Volkelius* etiam non alienus *L. 4. d. relig. C. 21.* Olim *Nestorius* simile quid dixit, ut ex *Cyrillo anath. 10.* sumi potest. *Confer Lapide in Ephes. 5. v. 2.* Et ex Scholasticis *Scotus, Biel, Bassolis, Gabriel, ad 3. sent. d. 12. q. 1. 2. Molina p. 1. q. 14. Bellanus d. actib. supernat. aliiq;* idem sentiunt. *Durandus* strenuè illud defendit *q. 2. ad c. l.* Et communiter omnes *Scoti* discipuli consentiunt, ut *Rada p. 3. Controv. 4. a. 3. tradit.* *Piscator* Christum sanctè vivendo justificatum scribit, ut *Affelmann.* ei tribuit *d. justif. t. 2.* Sic Christus peccator fuisset, & peccatorum remissione eguisset, quod valde absonum. Nobis n. à DEO justitia & sanctimonia factus est, *1. Cor. 1. v. 30.* *Sed Falsò* & absurdè omnia ista. 1. *Quia* consubstantialis filius Patri est in omnib. adeoq; ipsa essentialis sanctitas & rectitudo est. At talem non obedire aut refragari posse DEO Patri impossibile est. Ipsa sanctitas aberrare aut peccare non potest. Peccabilis a. esset, si non obedire posset. 2. *Quia* etiam Christus ut homo sanctus sanctorum est. qui in tempore ungi debuit, *Dan. 9. v. 24.* seu sanctitas sanctitatum, ut ex Hebræo reddi solet. Nam qui ad templum secundum illa cum *R. Salomone & Thalmudicis* detorquent, vanè & Contradictoriè textum depravant, qui apertè de Messiâ loquitur, ut præcipui Rabbini fatentur, ut alibi dixi, *Passional. t. 13.* At talis dici non potest, qui peccare & DEO non obedire potuit. 3. *Quia* Christo etiam ut homini spiritus datus est non ad mensuram, *Joh. 3. v. 34.* Cui a. immensa Sp. S. dona concessa sunt, ei & justitia ac sanctitas immensa competit, & axiomata divina conveniunt, divina virtus, sanctitas, gloria. Ac cui hæc competunt, quomodo ille peccare, aut DEO non obedire poterit? Et quomodo divina sanctitas cum peccato vel peccandi potentiâ consistat? 4. *Quia* Christus segregatus à peccatoribus Pontifex sanctus, innocens, impollutus est, qui non habuit necessitatem priùs pro suis delictis offerendi, ut cœteri habuerunt, *Hebr. 7. v. 26. 27.* Et quem Nemo de peccato arguere potuit, *Joh. 8. v. 46.* At tales tituli malè ei tribuentur, qui DEO non obedire potuit. Ab pecatorum n. consortio eximitur, ut qui peccare

care

care non potuerit. Nec in carne peccatrice, sed similitutine tantùm carnis peccati venit, *Rom.8.v.3.* 5. *Quia* fomes, fons, & origo pecc. in Christo locum non habuit, ut qui è Sp. S. conceptus, & ab ipsa conceptione sanctus, ac à peccati contagio immunis extitit, *Luc.1.v.35.* Eoq; peccatum in ipso locum habere non potuit. 6. *Quia* persona Verbi substantialiter humanitatem sibi conjunxit. E. & eam dirigit ac gubernat, & in illá directione deficere non potest. E. humanitas sic directa peccare non potest. Etsi n. lege aut præcepto Verbum ad dirigendum non obligetur; ex essentiali tamen bonitate & naturâ sic obligatur. Quomodo DEUS seipsum negare non potest, etsi ab alio legem non accipiat, *2. Tim. 2. v. 13.* 7. *Quia Patres & Scholastici* plures communiter id docent. *Damascen. l. 2. d. fide, C. 13.* Confitemur Christum habere omnia, quæ Adam primus, solâ exceptâ peccantiâ, h.e. peccandi facultate, ut Interpretes exponunt. Nam nec peccatum facere potuit. *Lombardus L. 3. sent, d, 12. lit. D. Thomas ibid. a. 2. Capreolus c. l. Ariminensis 1. dist. 42. q. 2. Becanus p. 3. Th. sch. tr. 1. C. 12. q. 3. Et C. 13. q. 4. Et Thomistæ* communiter. *Lapide 2. Sam. 7. v. 16. In Job. 8. v. 46. C. 10. v. 18 C. 14. v. 31. C. 17. v. 17. 1. Pet. 2. v. 22. 1. Joh. 3. v. 5. Sir. 24. v. 12.* Ac ex ipsis *Arminianis Apologia Remonst. C. 17. p. 190.* se non id affirmare audere ait, etsi *Scholastici* quidam affirmârint, fieri potuisse, ut Christus legi divinæ non obediret, & sic non obediendo peccaret.

17. *Dices 1. Vnio* ad Verbum nil aliud humanitati dat, quàm subsistentiam & personalitatem, ut in naturâ Verbi subsistat, & cum eâ unam personam faciat. At ex hoc nulla Physica repugnantia ad peccandum est. *R. Sufficit*, si hyperphysica & supernaturalis sit, eò quòd intimè in ipsum esse Verbi humanitas suscepta est, Vt unam cum eo personam faciat, & consequenter omnis plenitudinis deitatis corporaliter particeps facta sit, *Col. 2. v. 9.* Atque ita homo ille à parte rei sit ipse DEVS Verbum, actioq; naturæ illius verè actio DEI sit. In talem a. naturam ita cum Verbo unitam peccabilitas cadere non potest, nisi simul Verbum, quod eam suscepit ac terminat, peccabile facere velis, quod blasphemum. *2. Si unio* impec-

cabilem carnem facit, E. & immortalem facit. R. *Non mori* potuit scil. ex peccato proprio. Aliàs ex alieno & imputato mori potuit, ex peccato nostro, nempe quod expiandum suscepit, & sic mortalis illa Caro fuit. Sic enim mortem & pœnam pro nobis subiit, ut mediator ac sponsor noster, ut nostrum peccatum ita aboleret: Sed mereri pœnam peccato non potuit. Sic n. satisfacere non potuisset, si ipse pœnas meruisset. Mors pœna tantùm est peccati: At peccatum culpa ipsa, illegalitas, ac difformitas cum DEO est, quam committere non potuit, & à quâ Verbum carnem suam propriam conservare debuit. Mors honesta & utilis esse potest, Culpa non. *Sed & negatur Conseq.* Quia diversa ratio est. Mors dissolutionem animæ à Corpore tantùm infert, adeoq; unionem naturalem modò soluit, non personalem. At peccatum auerstionem à DEO importat, & moralem cum DEO dissolutionem infert, quæ in naturam hypostaticè Verbo DEI unitam cadere nequit, ut quæ unam cum eo hypostasin facit. Quomodo ea à Verbo vel à DEO per apostasian, prævaricationem, aut peccatum auerti possit? 3. *Sola vnio* non est principium operandi. E. nec à peccato præservandi. R. *Non est* præcisè & in se solitariè spectata: Consequenter tamen, quà totam plenitudinem deitatis in carne illâ corporaliter habitare facit, *Col. 2.* Et sic sanctitatem, potentiam, gloriositatem, & beatitudinem Carni conciliat, quibus consequenter à peccando immunis esse cogitur.

18. 4. *Si angelus* hominis naturam assumat, & illa natura per propriam voluntatem peccet, culpa non angeli, sed voluntatis humanæ erit. Idem de humanitate à Verbo assumptâ dicendum. R. *Si talem* angelus assumat, gubernare illam tenebitur, quantum in se erit, ne peccet. Si sua negligentiâ eam labi permittat, quod impedire debuit & potuit, Culpa ipsi imputari poterit. Si quantum ex se est, faciat, & impedire non possit libertatem humanitatis, tum culpa soli humanitati, non angelo, imputabitur. Verbum a. divinum potest omne peccatum in naturâ assumptâ impedire, & ex sanctitate sua facile illud avertere volet. 5. *Conceptio Christi* ex Sp. S. ra-

S. rationem dicit, quâ illa productus fuit. At productio per Spiritum segregantem à communi modo concipiendi illam, ad peccabilitatem aut impeccab. nil facit, quæ naturam integram jam productam, non productionem ejus respicit. E. nec impeccabilitas ex eâ præcisè colligenda. *R. Rationem dicit*, quâ productus fuit, & simul segregationem & affectionem, quòd sine omni peccato productus fuerit. Eoipso n. hæc Conceptio à communi modo segregata fuit, ut sancta Caro conciperetur, & quod è Maria nascitur, sanctum sit, ut angelus ad Mariam dicit, *Luc.* 1. Nostram naturam in ipsâ conceptione peccato infici David suo exemplo testatur *Psal.* 51. Conceptio fecit, ut sanctũ ex Mariâ statim prodiret, non demùm sanctũ deinceps evaderet. 6. *Christi natura* humana eadẽ est cum nostrâ, h. e. liberâ voluntate prædita. E. & voluntas libera ac indifferens ad peccandum & non peccandum mansit. *R. Natura Christi* per omnia nobis similis, sed excepto peccato, *Heb.* 4. *v.* 15. Consequenter peccabilitate. *Tò* Excepto latiùs sumendum, ut & peccati causam excludat, quæ vis ad peccandum est. Nec hæc propriè affectio & proprietas humanitatis, sed defectus & imperfectio ex peccato adnata & inducta est, quæ deformat naturam, non perficit. *Falsum etiam*, ad libertatem requiri, peccare vel non peccare posse. Nam Deus liberrimum agens, & peccare nullo modo potest. Angeli boni libera agentia, & in bono ita confirmati, ut peccare ampliùs non posint. Et obedientiam illis *Bernhardus* adscribit *serm. in Fest. Martini*, ac ex eo *Novarinus adag. sac. n.* 578. Sic beati cœlites in vitâ æt. ampliùs peccare non poterunt, & summè liberi pro isto statu erunt, *V. Michael. t.* 36. 60. *Ac Lombardum* jam suo tempore rationem hanc solventẽ, *l.* 3, *d.* 12. *lit. D. adi.* Eminentior hæc libertas est, quàm in homine adhuc peccandi facultate obsepto. Quò liberior natura, eò magis à propensione peccandi immunis est, ut divina, angelica, & beatorum in Cœlis. Non voluntas aufertur, cum in eâ benè velle generatur, ait *Prosper c. Collat. C.* 12. Ita fidelium obedientia necessaria in causâ suâ, fide, quia necessariò illi nexa. Et tamen in se libera, ut ipsi *Arminiani* fatentur *C.* 11. *apol. s.* 2. Diaboli liberè

peccant, & non tamen possunt non peccare. Christus ut viator in hac vitâ scientiam infusam habuit, ut nos fidem habemus, & secundùm eam liberè actum amoris ac obedientiæ elicere potuit vel non elicere pro arbitrio, ut & nos liberè similes actus elicimus. Vnde libenter voluntatem DEI fecisse dicitur *Psalm.40.v.7. Hebr.10.v.7. seq.* In hoc libertas sufficienter servatur, non opus, ut obedire ac repugnare simul potuerit. Sic angeli boni liberè eosdem actus eliciunt, nec tamen inobedire aut repugnare DEO possunt.

19. 7. *Natura* unita ad rectè operandum gratiâ adjuvante & cooperante indiget, non minùs ac purus alius homo in naturâ suâ consideratus. E. nulla repugnantia est, ut & unita verbo à Verbo deviare possit. Seclusâ n. illâ gratiâ, quæ liber DEI concursus supernaturalis est, natura illa deficere potest. R. *Negatur Consequentia*, Quia vi unionis natura illa perpetuò à Verbo ex naturâ infinitæ suæ sanctitatis ac bonitatis dirigetur, *t. 16.* Et in illo dirigendo nunquam deficere potest Verbum. E. & à peccando perpetuò immunem eam præstabit Verb. & sic per unionem impeccabilis ista Caro facta est. Et licet gratia adjuvans ex libero DEI concursu sit, tamen eundem propriæ suæ carni substantialiter sibi unitæ nunquam negare poterit Verbum, & sic perpetuò à peccato eadem immunis erit, quod impeccabilem esse est. 8. *Humanitas Christi* per solam unionem non est potentior aut sapientior facta, & sic mansit ignorans ac fragilis, ut reliqui homines. E. & ex ignorantiâ ac fragilitate peccare potuit, ut reliqui. R. *Non facta* est per unionem solam & præcisè spectatam, benè tamen cum omnibus illis spectatam, quæ secum vexit, & quibus humanitatē illam instruxit, ut tota plenitudo deitatis in illâ habitaret, *t. 17.* Quomodo & omniscientiâ, potentiâ, gloriâ divinâ ex unione caro illa ditata est, Per consequens & à peccato prorsùs libera effecta est.

20. 9. *Christus* in desertum à Sp.S. ductus est, ut à Diabolo tentaretur. *Matt.4.v.1.* At hoc invalidum fuit, si prorsùs peccare nō potuit. Tentatio n. libertatis ejus ad peccandum periclitatio esse debuit. R. *Propriè* tentatio ad peccandum sollicitatio fuit, etiamsi ipse

ipſe peccare non potuit. Doceri eo debuit, Chriſtum à Sath. ſuperari non poſſe, nec tentationibus ejus ſuccumbere, ſed ipſum potius Sath. ſuperaturum eſſe. Satis ad tentationem, quòd impudentisſimis Satanæ furoribus Chriſtus ſe ſubjecerit, & eousque truculentiam ejus paſſus ſit, etiamſi ab eo vinci non potuerit. 10. *Non multum* ad conſolationem noſtram in tentationib. faciet, Chriſtum in omnibus ſimiliter ut nos tentatum fuiſſe, ſi ipſe peccare nullo modo potuit. At hoc tamen velut multum ad ſolatium noſtrum faciens refertur, quòd per omnia ut nos, tentatus fuerit Chriſt. *Hebr. 4. v. 15. 16.* *R. In eo* ſolatium noſtrum eſt, quòd Chriſtus omnes noſtras infirmitates ſuſcepit, omnem culpæ pœnam in ſe tranſtulit, execrationem ac maledictionem à Nobis in ſe derivavit, à Sath. nullo modo ſuperari potuit, ſed triumphum de eo egit, ſpicula & tentationes ejus omnes pro nobis eliſit ac discusſit, Vt plenam de illis victoriam in Chriſto fideles reportare posſint. Si n. Chriſtus peccare, & à peccato ſuperari potuit, non nos à peccato liberare potuit. qui ipſe peccato ſubjacet, aliũ ab eo liberare non poteſt. Ideò ſanctum nobis Pontificem esſe oportuit, *Hebr. 7. v. 26.* Nec ut nos vinci posſumus, ita & eum poſſe decuit. Secùs & ut nos æternùm perire potuimus, ſic & ipſe potuisſet, quod blaſphemum. Et ad informationem noſtram ea omnia faciunt, Vt poſt baptiſmũ tentationibus infeſtati non turbemur, ſed viriliter ſuſtineamus, & ſub Chriſto pugnemus ac vincamus. Non n. eò arma nobis data ſunt, ut otiemur aut fugiamus, ſed ut pugnemus, Vt *Chryſoſtom. hom. 13. in Matth.* deducit. Et cum dux pro nobis præjuerit ac vicerit, eò fiducialiùs nos ſub eo pugnam inire, & victoriam ſperare queamus.

21. 11. *Non opus* fuit Chriſtum ab angelo contra tentationes, quibus inſtante pasſione invaſus eſt, confortari, ſi illis cedere aut ſuccumbere non potuit. Sed id tamen factum legitur *Luc. 22. v. 43.* Ergò. *R. Non ideò* id factum, ne impatientiâ animi delinqueret, aut tentationibus ſuccumberet, Cujus periculum hic nullum fuit, ſed ut peccata totius humani generis, iram DEI, maledictionem, ac pœ-

ac pœnas ipsis debitas se suscepisse ac gestare ostenderet, pondusq; illud, sub quo alijs succumbendum planeq; desperandum fuisset, considerandum exhiberet, sicq; se coram judicio DEI trepidare, angore ac tristitiâ pro nobis affici doceret, & gravitatem peccati æstimandam sisteret, quæ tantis angoribus vindicanda maneret, & si prævaricari, delinquere, aut succumbere in illis tentationibus nullo modo quiverit. Homo factus ut propter nos tristis, sic & propter nos confortatus, ne nos succumbamus. Non sua, sed nostra vulnera dolet, non suam mortem, sed nostram infirmitatem, ut in tantis perpessionibus Patrem nostrâ causâ eum versari voluisse indicaret. Omnia perpessus, ut ab omnibus nos liberaret, timuit, ut nos à timore liberaremur, doluit, ut dolores à nobis abessent, ut *Beda, Ambrosius, Cyrillus, aliiq;* loquuntur. Non contra defectum moralem peccaminosum Confortatio illa fuit, sed naturalem simplicis negationis, qui sine peccato esse potest. 12. *Si labi* nequiit Christus, nostra obed. præstantior ejus erit. Nos n. liberè obedimus, Cum ille necessariò. R. *Negatur sequi.* Non ideò libertas in Christo excidit, quòd peccare nequiverit, sed eminentior ac excelsior nostrâ fuit, ut & sanctorum angelorum & beatorum in vitâ futurâ, qui etiam impeccabiles, *t.* 18. Et sic adhuc illa præstantior nostrâ est, quia ex libertate ab omni peccato exemptâ est, ut in Nobis in vitâ futurâ erit. Necessitas cum libertate stare potest. Quomodo DEUS & angeli boni necessariò benè agunt, & tamen liberè. Agere n. & non agere hoc aut illud possunt, & si non nisi bonum. Nec ita necessariò Christus obedijt, quasi pro se aut propria personâ legi subjectus fuerit, sed totũ illud nostri causâ præstitit, ut nos à maledictione legis liberaret, & adoptionem nancisceremur, *Gal.* 4. *v.* 5. *V. t.* 26. Sponte ergò & ultrò nostri causâ legi se subjecit, unde possibilitas inobed. & peccati colligenda non est, quæ cum perfectissimâ sanctitate consistere nequit.

22. 13. *Christus* passionis calicem à se transire, sed Pater eum bibere voluit, *Matt.* 26. *v.* 39. 42. E. inter voluntatem DEI & humanam Christi repugnantia fuit. E. & repugnare DEO, & sic non obedire

obedire potuit. R. *Diversitas* propriè est, non repugnantia, Nec in Christo plena ac absoluta voluntas fuit, sed sub conditione, si possibile, & Pater velit. Vnde postea suam voluntatem plenè voluntati Patris subjecit, *v. 39.* Inefficax voluntas fuit, non efficax. Inter efficaces a. propriè est repugnantia, non inter efficacem & inefficacem. Velleitas magis naturalis ex naturali mortis horrore fuit, quàm voluntas. Nec circa idem objectum eodem modo spectatum fuit. Refugit mortem voluntate per modum naturæ spectatà, ut omne vivum naturaliter sui corruptionem horret. Appetijt eandem per modum rationis & cum deliberatione spectata, & quà à Patre decreta fuit. Non quòd calicem bibere nolit, etiam supposito DEI decreto, quòd deberet eum bibere: Sic plenè Christus placito Patris obedijt, si omninò decretum, ut non nisi exhausto calice genus hum. liberaretur. Orare tamen potuit, ut si fieri posset, ut non exhauriret: Non decreto DEI repugnando, sed DEO committendo, fierinè posset, ut transiret calix, nec ne, & nihilominus genus hum. liberaretur. Non quòd decretum ignorârit, aut falli ullo modo potuerit: Sed quòd fragilitas humana spontè assumpta calicem naturâ horreat, in quo tamen voluntatem suam voluntati DEI plenè subjecit, nec perfectæ sanctitatis & obed. vi aliter facere potuit. Vtcunq; vi naturalis instinctus angebatur: per omnia tamen voluntati Patris se subjecit, nec aliter facere posse declaravit. In quo nulla ad inobediendũ potentia. Voluntas simpliciter ad Objectũ, passionem & tormenta, relata, naturaliter ea refugit: Ad Consiliũ Patris & fructum passionis plenè se voluntati Patris submisit.

23. 14. *Christus* optavit Patrem desinere velle, quod voluit, eò quod pater id facere possit, si velit. Hoc ostendit, Christum tandem aliter velle posse, ac Pater velit, si hic in illa volitione persistat. At talis etiam non obedire posse dici potest. R. *Antecedens falsum est*, Non hoc Christus optavit, secùs actu Patri repugnasset, & non solùm peccare potuisset, sed facto peccasset, quod blasphemum: Sed totam rem oratione suâ Patri commisit, & ex communi piorum more ac carnis fragilitate desideriũ Naturæ tantùm

explicuit, quantoperè acerbum calicem ob iræ gravitatem, maledictionis atrocitatem, Judicii divini severitatem, & carnis infirmitatem horreret, ac se ad hauriendum positâ Patris voluntate, nec aliter eâ inflexâ, paratum esse profitetur, & omne placitum suum in sinum Patris cœlestis tandem deponit. Deprecatur calicem sub conditione, si Pater velit, non ut se posse etiam non velle quamvis Patre volente, ostendat: Sed si Pater aliter velit, & se calicem à se transire cupere significet. Si autem nolit, & bibi eum debere omninò velit, voluntatem suam voluntati Patris in totum tandem submittat. Hoc totale submittere non cum non obedire posse consistere potest. 15. *Expressè Christus ait*, Non mea voluntas fiat, sed tua, *Matth. 26. v. 39. Marc. 14. v. 36.* Et sic potuit velle, quod Pater non voluit, & à voluntate Patris dissentire. Secùs verba illa nullam vim & emphasin habebunt. *R. Negatur Consequ.* Eo ipso voluntatem suam plenè voluntati Patris submisit, & sic non dissensit. Totum sub conditione saltem voluit, si Pater vellet, *t. 22.* Quod propriè nullam dissensionem importat. Et sensum comparatum phrasis illa habere potest, non tàm sicut ego vellem, quàm sicut tu vis, ut θέλω more Hebræo pro θέλοιμι positum sit. *V. Grotium in Matth. h. l.* Emphasis verborum in eo est, ut angor animi & naturalis sævæ mortis horror & velleitas aliqua naturæ insinuetur: Plenam voluntatem Christus Patri resignavit, & sic nulla repugnandi potentia inter voluntatem Christi & Patris remansit. Quæ plurib. *Thomas p. 3. q. 18. 21.* deducit. Ego aliqua *dec. 2. misc. d. 6. Corol. 2. & 5. adjeci.*

24. 16. *Appetitus* sensitivus & naturalis in Christo horruit mortem, rationalis & Patris voluntas cupivit mortem. E. hic ad minimum dissensio voluntatum Patris & Christi, & sic dissentire Christus potuit. *R. Inefficax* tantùm voluntas Christi refugit mortem, non efficax. Inter duas a. efficaces voluntates tantùm est repugnantia, non unam efficacem, alteram inefficacem, *t. 22.* Nec absolutè refugit mortem, sed sub conditione, si Pater velit. Id a. quod

quod certâ tantùm conditione refugitur, & aliâ ratione tamen recipitur, non potest cum altero absolutè repugnare aut dissentire dici. Appetitus sensitivus naturaliter refugit mortem, scil. si non altiore principio decreta sit. Voluntas apppetiit eam, quà decreta Patri fuit, & decretam esse novit. Hic conformitas potiùs & harmonia, quàm dissensio, & diversitas magis, quàm contrarietas aut non obedientia est. Non n. voluntas circa idem objectum eodem modo spectatum se habuit, *t.22.23.* 17. *Ignoravit Christus* homo quædam, ut diem judicii, *Marc.13.v.32.* Item ficum fructu carere, *Matth.21.v.19. Marc.11.v.13.* Si ignorantia ei tribui potest, Cur non & potuisse deficere aut exorbitare? *R. Non est par ratio.* Ignorantia quædam naturalis & sine peccato est, ut quæ subjecto non competat, ut infanti cognitio Metaphysices aut Physices: Peccare posse illegalitas ac defectus probrosus est, eoq; naturæ DEO hypostaticè unitæ, & in communionem infinitæ sanctitatis receptæ non convenit. Ignorare aliqua Christus in exinanitione potuit, ut Naturalis homo: Peccare & exorbitare non potuit, ut sanctissimus homo. 18. *Christo non* repugnavit dolorosum, miserum, passionibus subjectum esse, ut in passione. E. nec peccabilem esse aut dissentire à Patre posse. *R. Negatur sequi.* Dolorosum esse est affectus aut defectus naturalis, qui vel bonus, vel indifferens esse potest. Peccabilem esse est defectus moralis ac vitiosus, qui Chro competere non potuit. Et Christus dolorosus ob alios fuit, quorum peccata in se luenda suscepit, ut nostra, non quòd ipse peccandi radicem in se habeat, aut habere potuerit. 19. *Renatus* à voluntate DEI dissentire & aliud velle potest, *t.35.* Cur Christo id negetur? *R. Potest*, sed sine peccato, & sic etiam Christus, si dissentire Patri potuisset, sine peccato fecisset, & sic citra inobedientiam. Sed negatur & Consequentia. In Christo n. longè major & alterius generis sanctitas & innocentia ex unione cum Verbo fuit, quàm in ullo renato esse potest, *t.16.* Qui imperfectè renatus hic est, languidâ, vacillante, molestâ, ac in multis deficiente sanctitate sanctus, *t.36.* Quæ omnia in Christo contrà sunt, qui sanctus sanctorum

fuit. 20. *Christus aliquo modo* non conformis voluntâti DEI comitanti esse potuit, quà ad actus etiam malos DEUS concurrere vult, quia velle ac conari potuit, ut homines à peccatis cessarent. Et sic DEUS non ad actum peccati concurreret, quod tamen vellet. Christus a. id nollet. E. etiam dissentire ab eâ voluntate potuit, & sic etiam non obedire. R. *Negatur Consequ.* Illa non conformitas in tali casu sine peccato fit, ut & in renato est, qui hoc modo etiam nolle potest, quod DEUS vult, *t.* 35. Sed inobeditio vel repugnantia voluntatis Dei semper peccabilis est, & peccandi potentiam prærequirit, eoque in Christo locum habere non potuit. Vt *t.* 16. visum. 21. *Adamus* fuit typus Christi ut Adami secundi, 1. *Cor.* 15. Sed ille etiam in innocentiæ statu peccare potuit, liber n. creatus est, & facto postea peccavit. E. & Christus potuit peccare. R. *Fuit* typus Christi, quà caput & radix totius generis humani fuit, quod peccante eo & ipsum peccavit, *Rom.* 5. Non a. in omnib. attributis statum generis non concernentib. Inter quæ peccare posse fuit. Aliàs & sic arguam; Adam apostatare à DEO & perire potuit, & facto apostatavit. E. & Christus ita potuit. Quod de eo non valet, *Psal.* 16. *v.* 8. Adamus in morte manere potuit, non Christus *c. l.* Libertas non semper ad peccare posse est, *t.* 18.

25. III. *An obedientia Christi Patri præstita libera fuerit, ac coacta?* Prius *Arminiani* aiunt *Apol. C.* 17. *p.* 189. *seq.* Posterius *Socino & Socinistis* tribuunt. Liberam fuisse dici potest, nisi Armin. aliud eo subintelligerent, talem nempe fuisse, ut & non obedire, ac oneri & provinciæ susceptæ se subducere Christus potuerit. Hoc n. liberi voce propriè subinnuunt. Id autem falsum esse *t.* 18. *seq.* ostensum. Libera fuit, sed ut certo modo necessaria fuerit, nec aliter Christus agere potuerit. Neque hæc ita absolutè opposita sunt, ut non simul stare possint, ut DEI, Angelorum, & beatorum hom. in vitâ æternâ exemplo *t.* 18. ostensum est, quorum libertas præstantior nostrâ est, etsi ad bonum tantùm determinata. Sic obedientia fidelium libera, & tamen ex causa suâ, fide, necessaria, Vt *c. l.* dictum. Quod ex naturâ præmii & mercedis libertatem deducunt,

quam

quam Christus pro obedientiâ suâ tulerit, *Phil. 2.v. 5. seq. Hebr.2.v. 9.* alibi in *Theolog.* deducitur. Propriè loquendo Christus sibi nihil meruit, non n. sibi, sed nobis natus & datus est, *Esa. 9.v. 6. Gal.4.v. 4.* Adeoq; nec præmium propriè pro se retulit, sed ordine eo antecedentis & consequentis nactus est exaltationem & gloriam suã, ut ante pateretur & obediret, *Luc.24.v. 26.* Sic n. à Patre decretum erat. Et hoc Scripturæ dicta volunt, *Phil.2. Hebr.2.* aliaque, ut contra *Pontificios & Socinist.* aliosq; alibi deducitur.

26. *IV. An & obedientia vitæ Christi s. activa pro nobis præstita sit, an eam pro seipso Christus ut Creatura & legi subjectus præstare debuerit?* Prius communiter recipi solet, Nobis n. natus & datus est Christus, *t. 25.* Nobis ergò & legem implevit, non sibi. Nam & ut homo in unione personæ Dominus legis ac finis fuit, *Matth. 12. v. 8. Rom.10.v.4.* Ac per obedientiam ejus in genere justi constituti multi dicuntur, *Rom.5.v.19. C. 8.v. 3.* Non ad solam mortis obedientiam illud usquam restringitur. Unde passim & sanctam vitam Christi pro nobis actam Scriptura docet, *Joh. 4.v. 34. C. 6.v. 38. C. 17.v.19. Gal.4.v. 4. 5.* Posterius *Socinistæ* arripiunt, ut ex *Ostorodo, Eniedino, Socino de Servat. & c. Puccium, Smalcio de div. Christi*, aliisq; patet, Et *Cargius* quidam circa an. 1563. thesib. editis id arripuit ac defendit. Sed qui postea revocasse dicitur. Eum *Ursinus, Olevianus, & Piscator* secuti sunt. Et hic quia passim eam in Epist. Pauli inculcat, primus sententiæ author visus est. Item *Rollocus Scotus L. d. efficac. vocat. p. 32.* Piscatorem defendit *Thom. Godackerus, Martinius, Ravenspergerus, aliiq.* Sed ab aliis Reformatis sententia rejecta ac refutata est, *Calvino L. 2. Inst. C. 16. Bezâ in qu. & resp. Martyre in L.C. Sohnio T.1. Polano, Bucano, Trelcatio, VVittackero, Foxio, Alstedio Th. Sch. s. 4. C. 10. Et Polem. s. 5. q. 11. Maccovio d. 5. Colleg. Misc. Etd. Mediat. d. 22. Et Th. Pol. c. 15. q. 3. Joh. Munstero l. d. justif. Pastores* Gallicani Wappinei an. 1603. congregati diligenter Piscatorem de errore monuerunt. Sed ille epistolam Apologeticam ipsis opposuit. Acriter sententiã illam oppugnavit *Geor. Carletonus Anglus, L. d. cons. Cath. Eccl. c. Trident. p. 3. C. 3. Bisterfeldius co. Crellium in Con-*

cluſ.p.637. ſententiam utramque non ita longè diſtare ait, quin diſtinctâ verborum explicatione conciliari poſſint, quamvis utramq; obedientiam conjungentes pleniùs ſentiant. Simile quid *Synodus* Heidelbergenſis cenſuit, *ut Scultetus p.61.* vitæ ſuæ narrat, Et *Brant. Veſalienſis exam. quadrip.* Quo judicio à multis annis non puerilius auditum *Affelmann.* reponit *diſp.d.Juſtif.t.2.* An cœteris id facile perſuaſuri ſint *Heidelbergenſes & Biſterfeldius*, viderint. Alibi pleniùs totum hoc ventilari ſolet. *Bernhardi* illud hic tenendum : Chriſtus in vitâ actionem paſſivam habuit , in morte paſſionem activam ſuſtinuit.

27. *V. An obedientia mortis Chriſti vera obedientia dici poſſit, an potiùs paſſio vocanda ſit?* Prius negat *Maccovius d.4.d.Juſtif.&Th.Pol.c.l.* quòd obedientia actio ſit, mors a. paſſio, & ex obedientiâ profecta ſit. Rectiùs affirmatur. Sic n. & Scriptura tàm actioni, quàm paſſioni Chriſti obedientiam tribuit, *Phil.2.v.8. Hebr.5.v.8.V.t.12.* Et Obedientia generale vocabulum eſt, omnem accommodationem in ſuperiorem cōplectens, ſive agendo, ſ. patiendo expediatur. Sic diſcipulus obedit, cum & pœnas promeritas patienter ſuſtinet, & Civis, cum incarcerationem patitur, & Chriſtianus DEO , cum crucem ac calamitates à DEO immiſſas patienter ſuffert. Ac definitio ejus ad agendum & patiendum indifferens eſt, & in juſſa ſuperioris reſpiciendo ſiſtit. Sive illud de actione, ſ. de paſſione ſit, *t.5.* Tàm is obedire dicitur, qui ſuffert impoſita, quàm is , qui expedit mandata aut commiſſa. *VI. An mortis Chriſti obedientia vera pro nobis ſatisfactio apud DEum fuerit, morteq; illâ velut pretio nos verè redempti ſimus?* Hoc *Photiniſtis* paradoxum viſum, Cum nec DEUS unquam ſatisfactionem requiſierit, ſed gratis omnia condonare voluerit, nec eam per naturam requirere opus habuerit, cum debita credentib. remittere paratus fuerit, & reapſe ex merâ gratiâ remiſerit. *V. Socinum p.3. d. ſeru.* C. *1.ſeq. Oſtorodum* C. *36.Inſt. Et p. 3. con. Tradel, Smalcium c. Frantz. d.4.t.64.ſeq.* *Crellius* paulò aliter hic ſentire videtur. Sed luſus verborum quædam videri queant, & communiter *Sociniſtæ* ita ſentiunt. Olim *Petrus Abailardus* idem ſenſiſſe dicitur

ap.

ap. *Bernhardum ep.* 190. *Lapide* 1.*Cor.*1.*v.*30. *Arminiſtæ* ut ſolent, ambigui ſunt. *Peltius* ipſis tribuit, quòd negent, & Welſingium, Slatium, allegat, *harm.a.*11.*t.*4.8. *Bodecherus in Remonſtr.* C. 8. idem facit. Sed iſtos ipſi pro ſuis non agnoſcunt, Vt *Apolog. d.Trin.t.* 34. monui, & ipſe *Peltius in præf.* agnoſcit. *VVelſingius* ferè Photiniſta fuit. Quæ ex *Arminio, Epiſcopio, Confeſſione & Apol. Remonſt.* allegat, ex illis contrarium potiùs colligas, quàm id, quod Ipſe cupit, Vt *Confeſſ.* C.8.*ſ.*9. *Et Apolog.* C.8.*ſ.* 9. Directè quidem ſatisfactionem non negant. Habent tamen in ſcriptis, unde virtus ejus obliquè evertatur, & Socini confiniis accedatur. *Juſtitiam* n. DEI eſſentialem negant, unde pro peccato ſatisfieri abſolutè neceſſum ſit, *aliud* medium peccatum expiandi, quàm mortem filii, dari potuiſſe cenſent, *non tàm* propriam ſatisfactionem, quàm aliquam Patris acceptationem & æſtimationem putant, *ſanctam* conceptionem ac nativitatem Chriſti ad noſtram corruptionem tegendam tendere negant, *in quo modo*, an merito, an præconio & exemplo, formale Salvatoris in Chriſto conſiſtat, determinare ceu λεπτολογίας Academicas, faſtidiunt, *Chriſtum* primum ſalutis præconem & ſic præconii ratione Saluatorem dici ajunt, *Id tantùm* meruiſſe, ut in gratiã DEVS nobiſcum redire velit, aſſerunt, fidei collationem aut regenerationem nobis promeruiſſe negant, *V.t.*30 *ſeq.* ſimiliaq; fovent; quæ ex *Apologiâ, Conſid. Catech. Heidelberg. Arminii art. perpend. Epiſcopii* ſcriptis, ac ſimilibus deſumi poſſunt.

28. Falſa univerſa. 1. *Scriptura* Chrium nos ſanguine ac animâ velut λύτρῳ & antilytro mercatum eſſe DEO & Patri ſuo paſſim affirmat, *Matth.*20. *Marc.*10. *Act.*20. 1. *Cor.*6.7. *Hebr.*9. *Apocal.* 1.5. *Et alibi*, ac ut id pretium corruptibili auro & argento opponatur, 1. *Pet.*1.*v.*18. Quo reverâ ut pretio in emendo dato ſatisfacere ſolemus: Caroq; nos emptos dicit, 1. *Cor.*6.*v.*20. C.7.*v.* 23. Ac illo pro omnibus moriente omnes in illo mortui cenſeantur, 2. *Cor.*5.*v.*14. 15. Hæc a. ſatisfactiones ſunt. 2. *Quia* ſacrificia V. T. ſatisfactiones typicæ pro peccatis fuerunt, ut è Levitico

& ep.

& ep. ad Hebræos patet, ac typi mortis Christi fuerunt, ut ex eadem patet. E. & mortem Christi antitypicam satisfactionem esse oportet. Secùs minus in antitypo esset, quàm in typo fuisset. Quòd contrà potiùs esse solet, ut plus antitypum habeat, quàm in typo præextitit. Sic plus in Christo fuit, quàm in Adamo, Simsone, Jonâ. Plurib. alibi hoc tractatur, & quæ objiciuntur, refelluntur. Quædam *L. 1. Epit. The.* C. 11. *t.* 5. 6. tradita. *Ipsi Socinistæ* quædam interdum habent, quæ ad hanc sententiam asserendam referri possint, ut in *Confess. Veritatis à Socin. factâ t.* 8. patebit. *VII. Si omninò mors Christi satisfactio fuit, an absoluta & rigidè dicta, vi justitiæ, an potiùs moralis & ex pacto per gratuitam Patris acceptationem fuerit? Posterius Arminiani arripiunt, Armin. art. perp. d. Justif. n.* 10. *f.* 33. *Co. Perkinsum f.* 76. *seq. Resp. ad* 31. *art. f.* 153. *Episcopius d.* 6. *t.* 11. Et præiverunt olim *Scholastici* quidam simile statuentes, *ut Biel* 3. *sent. d.* 19. *Durandus* 4. *sent. d.* 15. *Scotus, Gabriel, Almainus, Medina. Sed Valentia d. Christo redem.* C. 4. 5. negat quidquam certò hic definitum. Sequuntur & ex *Reformatis* nonnulli. *Calvinus* L. 2. *Inst.* C. 17. *f.* 1. *Chamier* T. 3. *Panst. L.* 9. C. 1. 2. 3. Et ex *Socinistis Socinus* C. 25. 27. *præl. Th.* Quamvis neget *Smalcius c. Smiglec. d. satisf. Christi c.* 7. Prius alii arripiunt. *Vasquetz. p.* 3. *Thom. d.* 5. *Eustachius S. Pauli p.* 2. *sum. q.* 2. *Feuuardent. l.* 4. *Theomach.* C. 18. *Becanus p.* 3. *Th. Sch. tr.* 1. C. 15. *n.* 23. *Et Suaretz. ap. Eundem c. l. Lapide* C. 1. *Rom. v.* 17. C. 5. *v.* 15. *Bellarmin. L.* 1. *d. Justif.* C. 2. *L.* 2. C. 5. *Gerhardus* T. 1. *L.* C. *d. Christo, t.* 184. *seq.* T. 4. *d. Justif. t.* 36. *Et d.* 3. *d. glor. DEI, t.* 6. *Ex Reformatis Maresius* Coll. *Th. loc.* 11. *t.* 35. Aliiq;

29. *Utrumq;* certo sensu diversoq; respectu asseri queat, & acceptationem aliquā Patris, & rigidam solutionem hic concurrisse. *Illud*, quia gratiæ DEI acceptum ferendum est, quôd filium Mediatorem nobis constituerit, in mortem dederit, eâ morte ut lytro pro nobis contentus esse voluerit, pœnas nobis debitas per eam credentibus universis remittere, à nobis eas non exigere, fidem omnibus non malitiosè repugnantibus dare, & per eam credentes ab omni malo liberare, æternumq; salvare voluerit. Quæ si DEUS ex me-

ex merâ gratiâ præstare noluisset, nemo eum ad id obligare potuisset. Hoc, quia pretii persoluti sufficientia non ex nudâ Patris acceptatione dependet, sed & intrinseco valore suo juxta offensæ peccatorum nostrorum & satisfactionis à Christo ad justitiæ rigorem præstitæ æquilibrium talis est, ut recipi mereatur. *Nam* 1. *Persona* satisfaciens infinitæ dignitatis est, ut proprius DEI filius, DEO Patri æqualis, eoq; pondus æquivalens passioni adjicere potest. Deus a. DEO condignè satisfacere potest, etsi nudus homo id non possit. Passio a. hæc est Deihominis, non nudi hom. *Act. 20. v. 28.* 2. *Passio ipsa* ac obedientia, eaq; quæ à Christo agendo patiendoque præstita sunt, tantæ dignationis sunt, ut suscipi à DEO mereantur. Omnem n. justitiam implevit, *Matth. 3. v. 15. C. 5. v. 17. Rom. 8. v. 8. seq. Gal. 3. v. 13.* Vnde laborasse, bajulasse, afflictus esse in peccatis nostris, disciplina pacis nostræ super eum fuisse dicitur, *Esa. 43. v. 24. C. 53. v. 3. seq.* Et Hebræum Mosar exactionem debiti ex rigore justitiæ notare solet, *Deut. 11. v. 2. Jerem. 2. v. 19. C. 30. v. 14. Ezech. 5. v. 16.* Ac tàm perfectè, exactè, & abunde Christus satisfecit, ut ex rigore justitiæ plus ab eo exigi non possit, quantum rei ad rem æqualitatem concernit. De justitiâ aliàs inter DEVM & Christum Scholastici disquirere solent. De quo alibi plura.

30. *VIII. An & regenerationem & fidei collationem obedientia ac mors Christi nobis meruerit?* Iterùm negant *Arminiſtæ, Apol. C. 8. ſ. 9.* Et nihil vanius ac ineptius esse ajunt. Falsò. 1. *Quia* fides donum & opus DEI spirituale est, *Joh. 6. v. 39. Ephes. 1. v. 19. Phil. 1. v. 29.* At tale DEI donum & gratia non obtingit nobis, nisi per meritum Christi. *Rom. 5. v. 15.* 2. *Quia* omnes promissiones gratiæ næ & amen in Christo sunt, *2. Cor. 1. v. 20.* Et expresè DEUS in Christo gratificatus Philippensib. dicitur, ut & credant & patiantur ob Christum, *Phil. 1. v. 29.* 3. *Quia* in Christo omni benedictione spirituali nobis DEVS benedixit, *Ephes. 1. v. 3. seq.* Et omni dono Spirituali ditavit in doctrinâ & cognitione, *1. Cor. 1. v. 5.* Et regeniti in vivam spem per resurrectionem Christi à mortuis dicimur, *1. Petr. 1. v. 34.* Ac Deus opus fidei perficere dicitur, ut nomen D. n. I.

Christi prædicetur; 2. *Teſſ.1.v.11.12.* Sed ad ſpiritual. benedictionem omninò & fides pertinet. 4. *Quia* ipſi Arminiani DEUM per & ob Chriſtum gratiam ad credendum & per fidem ætern. peccatorum remiſſionem conſequendam ſufficientem peccatorib. contuliſſe fatentur *c.l.* Si gratiam ad credendum, utiq; eam & fidem ejus effectum, ex merito Chriſti eſſe dici poteſt.

31. *Dices* 1. *Non poteſt* DEVS fidem ſub comminatione mortis à nobis exigere, ſi Chriſtus eam meruit. R. Non ſequitur. Sub certo ordine n. & diſpoſitione eam conferre vult iis, qui non repugnant. Non a. abſolutè. Et ſic & Chriſtus eam promeruiſſe, & DEVS ordinatè per certa media conferre, eamq; ab hominib. exigere poteſt, & homines media ad eam acceptare debent. Quæ ſibi ſubordinata & conſequentia, non oppoſita ſunt. Sua dona in nobis DEVS à nobis repoſcit, quæ conferre paratus eſt, niſi rejiciantur. Et ſic dare ea poteſt, & poſtulare. 2. *Fides* eſt actus officii noſtri. E. non beneficium meriti Chriſti. *R. Etiam non ſequitur.* Vtrumq; eſt, & fidem nos in poteſtate noſtrâ non habemus, ideò ejus gratiam gratiosè nobis à Chriſto promeritam eſſe oportet. Quam DEVS omnib. offert, & media adhibentibus confert. Illi fidem tantùm in notitiâ & aſſenſu noſtro cenſent, qualia nos præſtare aut omittere queamus, Cum fiducialis apprehenſio meriti Chriſti & applicatio ſit, quæ conditio à nobis exigitur, ſed gratiosè ob meritum Chriſti in nobis à DEO efficitur. Quæ ſimul conſiſtunt. Ita ipſa fides à nobis exigitur, & tamen opus DEI in nobis eſt, quòd à DEO efficitur. *Joh.6.v.29. Col.2.v.12. 2.Teſſ.1.v.11.* Eſt actus officii noſtri, ſed gratuitum DEI opus & donum, quo illud efficit, non liberi arbitrii viribus in nobis perficitur, ut Pelagio vicini hic Arminiani cenſent. 3. DEVS præſcribit fidem peccatoribus velut à ſe præſtandum. At ſi ex ipsâ meriti Chriſti vi ea fluat, evertitur hæc præſcriptio. *R. Non ſequitur.* Præſcribit fidem à ſe præſtandam, ſed non ex ſe, acſi ipſi eam præſtare propriis viribus poſſent, ſed ut à DEO ut opus Dei eam petant, media à DEO ad illam præparata adhibeant, nec Sp. S. per verbum operari volenti malitiosè re-

sè re-

ſe repugnent, ac gratiâ DEI ſeipſos indignos reddant, *Act.* 17. & 13. Fluit ex medii vi, ſed certo ordine ac modo, quod medium recipere quidem ex nobis non poſſumus, reſpuere tamen poſſumus, & hoc cavere debemus.

32. 4. *Sic Chriſtus* tantùm pro illis mortuus erit, quos DEVS illâ fide donabit. Sic nulli alii credere debebunt, nec contemptæ mortis Chriſti rei peragi poterunt. R. *Non ſequitur*. Omnibus gratiam illam Chriſtus acquirere potuit, omnibus fidem dare DEVS velle poteſt, etſi multi reſpuant, obicem ponant, media negligant, ſe gratià indignos reddant, & ſic non ſalventur, ac per hoc contemptæ mortis Chriſti rei fiant. Nec abſoluta voluntas fidem operandi in abſolutè electis urgenda, quæ quorundam hic ſententia fuit, non omnium, ut *de Concil.* t. 22. dixi, Nec fides aut vis credendi humano arbitrio reſignanda cum Arminiſtis, ſed medium tenendum, & gratiæ divinæ ac merito Chriſti ea tribuenda, ſed incluſo ordine mediorum ad id deſtinatorum, quibus fides à DEO datur non irreſiſtibiliter, ſed ut homo gratiæ non malitioſè reſiſtat, quod quandoque in poteſtate habet, Vt *Tr. de Converſione* pleniùs dicetur. 5. *Si Chriſtus* fidem meruit, E. meruit noſtrum officium. Hoc n. eſt credere. *Joh.* 6. *v.* 29. *C.* 12. *v.* 36. 1. *Joh.* 3. *v.* 23. At officium à nobis DEO & Chriſto reddi debet, non à Chriſti merito acquiri debet. Fidem n. DEO & Chriſto adhibere debemus, ſi ſalvari velimus. *Joh.* 3. *v.* 15. 16. *R. Major non ſequitur*. Fidem Chriſtus meruit non ſub ratione officii, ſed divini beneficii, quod gratis Deus ob iſtud filii meritum in nos conferre, in nobis excitare, promovere, augere, & ſervare vult, & quod ſine DEO ex nobis ipſis habere aut excitare prorſùs non poſſumus, *t.* 30. Quod beneficium per applicationem ex fide factam nobis appropriare, & ſic in officium per ipſum DEVM & filii meritum vertere, viribusque DEI quotidiè ad finem usq; ſervare debemus, ut ſalvi fiamus. Quorſùm omnem ſufficientiam ex DEO habere & exſpectare debemus, 2. *Cor.* 3. *v.* 5. Vt ſine Chriſto nihil hic posſimus, *Joh.* 15. *v.* 5. Ita utrumq; ſibi conſentit, non opponendum eſt.

IX. *An & sibi Christus obedientiâ suâ aliquid meruerit*? Affirmant *Pontificii*, *Photiniistæ*, *Arminiani*, *VVeigeliani*, *Fantatici* quidam *Reformati*, *alii*, & gloriam ac exaltationem suam promeruisse censent. Rectiùs negatur. Pro nobis passus & mortuus, non sese, *Esai.53.Rom.5.6.8.Gal.2.3.4.Ioh.3. 1.Cor.1. Hebr.2. 1. Petr.2. 3.Et alibi.* Nobis venit & natus est, *t. 25.26.* Non sibi. Et nobis ergò meruit, non sibi. *In Phil. 2. & Hebr.2.* Consecutio & ordo antecedentis ac consequentis est, quo pati Christum oportuit, eoq; ordine gloriam ingredi, *Luc.24.v. 26. Joh. 12.v. 25. Hebr. 2.v.10.* Non a. meritum. Crux n. via paradisi à DEO statuta est, *Act. 14.v. 21.* Vt plurib. *in Theol.* Quid à nostrâ obed. differat, *t.37.* videbitur. X. *Quomodo obed. Christi Patri præstita dicatur voluntas*, *Hebr.* 10. *v.* 10. Quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem Corporis Christi? *Per metalepsin* voluntas pro voluntatis executione & obedientiâ sumitur, vel unà cum correlato sui, voluntatis impletione, ut sensus: Ista voluntate DEI scil. impletâ & præstitâ à Christo per oblationem corporis ejus in mortem plenè nos sanctificati sumus, ut aliis sacrificiis legalibus opus non sit. Effectum obedientiæ Christi imbecillitati oblationum legalium opponit, quæ verè sanctificare non poterant, *Hebr. 7.v.19.C.9.v.9.C.10.v.1.2.* Sed typicè tantùm & adumbrativè. Christi a. obedientiâ plene omnes sanctificati sumus, ut aliundè quidquam acquirere opus non sit, & quidem speciali illâ illi ut Mediatori impositâ, quâ corpus in mortem voluntariè obtulit, *Rom.5.Phil.2.* Vt primi Adami inobedientia singularis illius mandati de non comedendo fructu vetito voluntaria transgressio fuit: Sic secundi Adami obedientia singularis voluntatis de Corporis sui oblatione pro Adami ac posterorum inobedientiâ voluntarium plenumq; obsequium esse debuit, per quod inobed. Adami expiata fuit. *Generaliter* Christi tota obedientia, vitæ & mortis, expiavit, *t.26.27.* *Specialiter* hac oblatione in mortem, quam inprimis Scriptura memorat, Vt *c.l.* dictum.

33. Ita *Christi obed.* fuit. *Angelorum S. est*, quâ illi promptè Deo obediunt, & jussa ejus capessunt. De hac quæritur, 1. *An propriè di-*

cta

cta sit, cum non libera, sed necessaria sit, & aliter agere ac peccare non possint? Negant *Arminiani, Apol. C.6.s.7. C.17.p.190. Et spec. calumn. praf.p.31. Et s.2.n.18. Act. Synod.p.140.seq. Episcopius resp. ad def. Cameron. C.13.* Falsò. 1. *Quia* tota Obedientiæ definitio *t.5.* tradita illis competit, cum jussa DEI expediant & expedire in sacris dicantur, *Psal.103.v.20. Psal.104.v.4. Hebr. 1. v. 14.* Sic angelus Gabriel ad Danielem missus & visionem explicans verè DEO obsecutus, *Dan.8.v.16.seq. C.9.v.22.* Et ad Mariam missus DEI mandatum verè executus est, *Luc.1.v.26.seq.* Ita in Oratione Dominicâ oramus, ut voluntas DEI fiat, sicut in Cœlo & in terrâ, *I*bi ab angelis bonis scilicet, *Matth.6.v.10. Luc. 11.v.2.* 2. *Quia* falsum est, talem libertatem, ut & non obedire quis possit, ad obed. ut sic requiri, ut exempla Christi & beatorum in cœlis ostendunt, *t. 18.* Cum indifferens ad eam esse queat, *t.9.* Etsi in hominibus lapsis talis post lapsum inveniatur. Laude & præmio eam non dignam fore, si peccare nequeant, similiter falsum. Laus in benefactis est, et amsi malè facere non possis. Quomodo DEVS laudatur, & beatorum innocentia laudem meretur, etsi peccandi possibilitati exempti sint. *Præmium* similiter benefacto dari potest, utcunq; malè agere ampliùs nequeas. Vt homini perfectè spiritualiter beato, & in bono jam consummato. Imô divinior ac excelsior libertatis gradus hic est, ita obedire, ut non obedire, peccare, repugnare, rebellare, ampliùs nequeas. Plenè de vitiis vincentium ac triumphantium in hominib. hoc est. *V.c.l.Conf. Michael.t.37.60.* 2. *An & in angelis malis obedien. aliqua sit, & inferiores superioribus subesse ac obedire cogantur, an potiùs furor & æterna confusio inter ipsos obtineat?* Ordinem aliquem inter eos esse certum est, supremi n. Diabolorum mentio in sacris est, *V.t.9.* Et Sathanas ut dux, ac angeli ejus ut assistentes pugnasse dicuntur, *Apoc.12. v.7.* Sed talis obed. quæ in bono sit, & æquitatis gratiâ fiat, quæ *t.5.* definita, inter ipsos non est, sed confusioni ac distorsioni juncta, prout attributa & opera eorum confusa. *V.Mich.t.70.* Paritio tamen aliqua inferioris ad superiorem, etsi coacta, confusa, malitiosa, seditiosa, turbulenta, illis competere videtur, quâ ille huic cedere, ac placi-

 tum

tum ejus capessere cogitur, Sic Beelzebub inferiores spiritus utcumque vicisse videtur, *Matth.12.Luc.11.* Et in Magicis unus alium expellere animadvertitur, s. verè, seu per collusionem id fiat, ut Apollonii, Magorum Africæ, Germ. aliorumq; exempla *ap. Beyerling. Voc. Miraculum, p.544.* aliosq; docent, & *in Magicis C.9.t. 22.* deductum est. Sic dæmoni in dæmoniaco mandatum à Mago Afro datum, ut exeat, & statim ille exivit. *Beyerl. c.l.* Archidæmon aliquando jussit, ut omnes mali spiritus ad Lutheri exequias confluerent. Vnde magnam Corvorum copiam feretrum circumvolitasse refert *Bredenbach. l.7. Collat. sac. c.39. Et Lapide in 2.Reg.10.v.20.* Si vera ea. Simile quid in morte Vdonis Magdeburgensis præsulis factum Idem refert. *Conf. Eundem in Ephes. 6.v.12.*

§4. *Obed. hominum est, quæ ab hominibus vel ad DEUM, vel Sathanam, vel ad sese expeditur.* *Ad DEUM*, cum DEO ejusq; verbo obeditur. Hæc renatorum propria est. De quâ quæritur *I. An tâm perfecta ea in hac vitâ esse possit, ut legem moralem implere eiq; satisfacere possint?* Affirmarunt olim *Judæi & Pharisæi*, quorum quidam quid facientes dicti, sæpè quid debeo facere, & faciam, crepabant, ac supra modum arrogantes erant, Vt *Osiander C.15. harm.* notat, *Manichei & Pelagiani*, hodiè *Papistæ, Socinistæ, Arminiani, Fantatici, VVeigeliani, Paracelsistæ, Anabaptistæ, Suencfeldistæ, & similes.* Falsò. 1. *Quod* legis fuit, impossibile nobis fuit, *Rom.8.v.3.* Vt jugum, quod nec nos, nec Patres nostri portare potuerint, *Act.15.v.10.* Et quæ vivificare non possit, cum servari nequeat, *Gal.3.v.21.* 2. *Quia* lex tota spiritualis est, nos aut. carnales sumus, sub peccatum venundati, *Rom. 7.v.14.seq.* Et obedientiam totalem ac perfectissimam requirit, *subjectivam* totius hominis & omnium virium, *Objectivam* omnium cogitatorum, dictorum, & operum, & *adjunctivam*, omnium temporum, locorum, modorum, ac circumstantiarum, ut in nullo, ne in minimo aberretur, *Deut.6. Matth.22. Marc.12. Luc.10. Gal.3.* *Qui* n. in uno aberrat, omnium est reus, *Jac. 2.v.10.* At talem obedien. nullus mortalium, excepto Christo, præstare potest, *Rom. 5.v. 15.seq. C.8.v.3.seq. 1.Reg.8. Job.9. 15. Psal.32. 51. Prou. 20.* Ac

mors

mors omnibus incumbens, ut peccati stipendium, *Rom. 6.v.23.* Omnib. peccatum inesse testatur, *Rom. 5.v.12.seq.* Quæ in contrarium obvertuntur, *alibi* explicantur. *2. An semper renati DEO obedire teneantur, an & quandoq; ab eo dissentire, & nolle, quod ipse vult, possint?* Vbi mandatum DEI habent, ei semper parere coguntur, absolutè vel conditionatè, in toto vel parte, simpliciter vel sub circumstantiâ, prout mandatum fuerit, aut ex sensu legis commodè interpretari possit. Vbi nudum placitum aut sententia, ab eo dissentire, & id non velle salvâ Conscientiâ possunt. Sic DEVS Sodomam ac Gomorram eversas voluit, sed Abraham noluit, & pro illis deprecatus est, *Gen.18.v.22.* seq. Populum Israeliticum excisum, sed Moses dissensit & deprecatus est, *Exod.32.v.10.seq. Num.14.v.12.* Sic Paulus in Bythyniam ire voluit, sed DEVS noluit, *Act. 16. v. 7.* Et urbes ac regiones DEVS ob peccata exscindere velle potest, & tamen nos id nolle, deprecari, ac clementiam & pœnitendi spatium exorare possumus. DEVS parentes morte eripere nobis velle potest, nos eos in vitâ longiùs servari nobisque in usus nostros commodari velle possumus. Pestem in Israël DEVS immissam voluit, sed David noluisset, & potiùs populo parsum cupisset, si impetrare potuisset. *2.Sam.24. v. 14.* Saulem DEVS rejectum voluit, sed Samuel doluit & deprecari voluit. *1.Sam.15.v.11.seq. C. 16. v. 1.* *Sic voluntati DEI comitanti*, quâ nobiscum ad actus nostri arbitrii concurrere decrevit, non semper voluntatem nostram conformare tenemur. Sic per eam non solùm ad substantiam actus boni, sed & actus peccati concurrere vult, nos a.id non tenemur velle. Imô si sciremus peccatum futurum, deberemus potiùs præcepta servare & peccata vitare, etiamsi DEVS ad actum peccati concurrere vellet. *Sic nec voluntati consequenti*, quâ aliquid occasione ex nobis acceptâ facere decrevit, ita velle nostrum conformare tenemur, ut non oppositum conari liceat, sed satis est, si contra præceptum aliquod nõ faciamus. Vt si à DEO ob peccata præcedentia per morbum quis puniatur, eamq; pœnam ex justo judicio duraturam sciat, potest nihilominus per orationes, jejunia, eleemosynas, alia pia remedia co-

nari, ut à pœnâ eâ liberetur, etiamsi DEVS eam durare velit. Inde *Augustinus Enchir. c.* 101. Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid, quod DEVS non vult, ut cum bonus filius Patrem velit vivere, quem Deus bonâ voluntate vult mori. Bonæ DEI voluntati pietas illius potiùs consonat, quamvis aliud volentis, quàm impii idem cum DEO volentis impietas. Vt cum vult mori Patrem, ut hæreditatem avarus occupet, Idem DEVS velit, ut peccandi finem faciat. Ita DEVS martyria sanctorum velle potest, nos inclinatione naturæ eas nolle, refugere, ac deprecari possumus citra peccatū, modò ad ultimum tandem omnia voluntati DEI resignemus, *V.t.* 22. 23.

35. 3. *An renatorum obed. verè & ex justitiâ ap. DEUM meritoria esse possit?* Affirmant *Pharisæi, Pelagiani, Manichei, Novatiani, Pontificii quidam, Synergistæ, Enthusiastæ, Mahometistæ, alii.* Falsò omnes; 1. *Quia* nec Scriptura meriti vocem uspiam hic usurpat, nec vocem æquipollentem habet, quâ illud eliciatur, ut inductio V. & N. Test. ostendit. 2. *Quia* verum meritum opus proprium, non alienum, indebitum, non jam ante debitum, & mercedi adæquatum ac proportionatum esse debet. At tota nostra obedientia aliena & gratiæ DEI est, sine quâ nihil præstare valemus, *Joh.* 15. *v.* 1. *seq.* 2. *Cor.* 3. *v.* 4. Nil DEVS in nobis præter sua dona coronat, *V. Psal.* 103. *v.* 4. Et tota DEO debita est, *Luc.* 17. *v.* 10. DEO n. totaliter ratione creationis, redemptionis, & sanctificationis, omniumq; benefactorum cum omnibus, quæ habemus aut possumus, jam ante obligati sumus: Et inter eam ac vitam æt. bonis operib. redditam nulla æqua est proportio. Illa languida, imperfecta, multis vitiis spurcata, transitoria, invita sæpè & molesta nobis: Hæc sincera, perfectissima, constans, perpetua, purgatissima, plenà DEI benignitate collata, lætissima, doloris omnis & tristitiæ vacua est, & longè ultra opera nostra omnia, quæ fecimus ac tulimus, in æternum coronat, *Rom.* 2. *v.* 7. *C.* 8. *v.* 18. *seq.* 2. *Cor.* 4. *v.* 17. At inter talia legitima proportio non est, quæ in merito verè dicto requiri solet. *Unde veteres*, da tua, sed quæ non debes, proportio & adsit, Non aliter meri-

meritum dixeris esse tuum. Quæ ad hæc excipi, aut in oppositum adduci solent, *alibi in Theol.* solutionem habent.

37. *4. Quid à Christi obed. Patri præstitâ nostra differat, & quantũ?* Alterius generis eam â nostrâ *Arminiani* faciunt, in eo tamen convenientem, quòd prorsùs libera fuerit. *Apol. c. 17. p. 198. & alibi.* Convenit cum nostrâ, quòd verè talis fuerit, & definitionem *Obed. t. 5.* traditam reverâ participet. Eoq; eodem nomine passim in sacris insignitur, *t. 13.* Fuit n. affectio intellectualis subjecti, Patri ut superiori à Christo homine sponte æquitatis alicujus gratiâ exhibita, ut per partes ostendi potest. Et à DEO mandatũ accepisse passim in sacris dicitur, *Joh. 10. v. 18. C. 12. v. 49. 50. C. 14. v. 31.* Ubi *Joh. 12. Augustinus* per mandatum Patris ipsum Christum accipit, cum id vit. æterna dicatur, & Christus eodem titulo appelletur, 1. *Joh. 5. v. 20.* Sed Symbolica hæc est explicatio. Mandatum n. vit. ætern. dicitur, quia causa & via ducens ad eam est, efficit n. producit, & fundit vitam illis, qui mandata servant, *Matth. 19. v. 17. Differt a. Quòd* illa ut filii DEI naturalis propria fuerit, cum nostra adoptivorum tantùm sit; Illa DEI & hominis sit, ut subjecti quod, *t. 13. seq.* Cum nostra meri tantùm hominis sit; Illa perfectissima, omnibus numeris absoluta, verè etiam secundùm justitiæ rigorem meritoria fuerit, *t. 29.* Pro nobis ac vice nostri præstita, quâ nos redempti ac DEO reconciliati fuerimus, plenè spontanea ac voluntaria, non talis, ut etiam non præstari potuerit, ut in nobis, *t. 16. seq.* Nostra semiplena, coacta, molesta, invita, nequaquam ap. DEUM meritoria, *t. 36.* Pro nobis ipsis, non pro aliis exhibita, & talis sit, quæ & non præstari potuerit, cum peccare omnes & in multis aberrare possimus, quod non in Christo fuit, *t. 16. seq.* Quòd illa nullius pœnæ comminationem additam habuerit, si non susciperetur, quod in Christo locum non habuit, *c. l.* Nostra sub pœnæ temporalis & æternæ comminatione imponatur, si non exhibeatur, *Lev. 26. Deut. 28. Jos. 23. 24. Prov. 4. 5. 6. Et alibi.* Quale quid de Christi obed. non invenitur. Porrò de notis veræ obed. erga DEUM, ac mediis & rationibus ad eam *Amesius L. 3. d. Consc. C. 1. aliiq;* disquirunt. *5. An verè Thomas*

Apost. *Ch isto obedierit*,& vestigia clavorum ejus tetigerit, *Joh.20.v.27*? Glossa dubitat. *Euthymius* negat. *Augustinus* ex reverentiâ Magistri non ausum censet, *tr.121.in Joh.* Contrarium verius. Expressè n. Christus id jussit, & si non factum, Johannes non silentio illud præteriisset. Voluitq; sic Christus efficax resurrectionis suæ argumentum non Thomæ solùm, sed omnibus Apostolis relinquere. Vnde & Patres plerique affirmant, *Augustinus, Cyrillus, Ambrosius, Beda, Theophylact. Chrysost. Gregorius, alii. V. Commentat. h.l. 6. An nostra ad DEum conversio verè Obed. dici queat, si merè passivè in eâ nos habeamus*? Negant *Arminiani act. Syn. p. 138. seq. Ep. ad VValac. p. 69. seq.* Collat. *Hagiens. p. 191. seq. Resp. ad Censur. f. 70. Episcop. d. 15. & alibi. Falsò.* Verè n. obedire dicitur, qui jussum facit, & ad alicujus mandatum se immutat, s. vi propriâ, s. alienâ id faciat. Quomodo verè embryo in utero se movet, etsi vires movendi à Deo habeat. Verè ad jussum Magistri tyro imaginem pingit, etsi vim pingendi ab artifice acceperit. Ex non volente homo à DEO fit volens, novasq; vires per gratiam accipit, quibus acceptis ipse gratiæ deindè cooperari potest. Agit homo, sed à DEO actus, & convertitur, sed à DEO ad id immutatus. Spontè agit & movetur, credit & resipiscit homo, non DEVS. Sed hoc Deus homini largitur, quòd possit & velit resipiscere & credere. Ad Obedientiam satis est, si homo voluntariè consentiat DEOq; obsequatur. Convertit DEVS nolentes, non quà tales manent, sed qui fuerunt, & ex nolentibus in ipso convertendi principio volentes facti sunt, ac sponte Deo convertenti obsequuntur, non coactè aut invitè. Vt pluribus *Tr. d. Conversione* dicetur.

38. Sic *Obed. Deo præstita fuit. Sathanæ exhibita est*, quæ Deo hujus seculi in operibus carnis & tenebrarum à filiis nequitiæ exhibetur, & finem æternum exitium habet. *Matth. 13. Luc. 8. Joh. 8. 9. 10. Act. 13. 18. 19. Rom. 1. 2. 6. 7. 8. 2. Cor. 3. 4. Gal. 5. 6. Ephes. 6. 2. Tim. 3. 2. Pet. 3. Iud. v. 12. seq. Apoc. 2. 21. 22.* Qui ei dediti sunt, filii Belial, inobedientiæ, & incredulitatis dicuntur, *Deut. 15. v. 13. Iudic. 19. v. 22. 1. Sam. 2. v. 12. C. 10. v. 27. 2. Sam. 23. v. 6. 2. Chron. 13. v. 7.*

13.v.7. Nahum 1.v.15.vel c.2.v.1. 2.Cor.6.v.15. Act.13.v.10. Ephes. 2.v.2.C.5.v.6. Col.3.v.6. Quasi sine jugo, usu, inutilis, noxius, rebellis. Sic Apostata homo Belial, *Prov.6.v.12.* Vnde inobedientiam, impietatem, socios ejus, Diabolum, ut primum apostatam, legis, fidei, & obedientiæ DEI jugum excutientem, omnesq; ei adhærerens notat. Beliaal est sine usu, Beliol sine jugo, q. effrœnis, impius, sejugis, scelestus. Interdum filii subtractionis dicti, qui à jugo fidei & obedientiæ se subtrahunt, ex *Hebr.10.v.39. V. Lapide in h. l.* LXX. *παρανόμους* reddunt *Deut.13.v.13. Pagninus* sine profectu reddidit *1.Sam.10.v.27.* Et torrentes Belial de Sathanicis impugnationibus & exagitationibus dicuntur *2.Sam.22.v.5. Psal.18. v.5.* Hic Baal, Belial, Belialitæ, ac Babylon magna mater fornicationum in terris *Apoc.16.17.18.* Theologicè è sacris advertenda ac ponderanda occurrent. *Baal* velut regnum ac territorium ejus. Huc Magi cum suâ confœderatione Sathanæ factâ pertinent, de quâ *in Magicis C.3.4.* dictum. De hac plura in Opposito Obed. *Inobedientia, t.58. seq.* tradentur. De illâ quæri solet *1. Verenè obedientia dicatur, cum potius Inobed. sit?* Si Obedient. in honesto dicas, & virtutem aut semivirtutem facias, *t.5.6.* Non est Obed. Nam nec affectio laudabilis est, nec superiori legitimo facta. Sathanas n. illegitimus herus, & per superbiam ac apostasiam à DEO legitimo, cui subfuit & subesse debuit, factus, nec boni finis, æquitatis gratiâ exhibita est: Sed *generaliùs dicta*, prout quamvis paritionem alteri ut superiori factam notat, s. bona s. mala, virtuosa s. vitiosa, bono aut malo fine præstita, prout vocem ita generaliter usurpare solemus, *t.4.* *2. Quomodo à Christiano cavenda ac extundenda ea?* Si sedulò fœderis cum DEO in baptismo initi mentionem teneat, & virtute ejus ab omni malo, quo Sathanæ obœditur, se retrahat, ad omne bonum, quo DEO obeditur, se adducat & assuefaciat. *V. Rom. 6. v. 3. seq. Gal. 3.v.27. Ephes.5.v.26. Tit.3.v.5.* Sathanæ n. in eo omnibusq; ejus operib. abrenunciavit, DEO & omnib. ejus attinentiis se perpetuò addixit.

39. Obed. hominum ad hominem est, quæ homini superiori ab

inferiore exhibetur. Vt Ecclesiasticis, Magistratibus, heris, parentibus,& similibus imperium aliquod in alios habentibus. De hac quæritur 1. *An obœdientia legibus Ecclesiasticis præstita Conscientiam hominis obliget, ut si non præstetur, ipsa conscientia violetur? Pontificii* affirmant, *Thomas* 1.*sec.q.* 96.*a.*4. *Bellarm. L.* 3.*d. Laicis*, C. 11. *Tholosan. l.* 8.*d. Rep.* C. 2. *Soto l.* 1.*d. just. & Iu. q.* 6. *Becanus p.* 2.*Th. Sch. tr.* 3.C. 6.*q.*2. *Suaretz l.* 3.*d. leg. c.*7.*seq. Lizetus l.* 3. *d. leg.* C. 2. *Lapide in Rom.*13.*v.*5. Negant *Calvinus l.*3.*Inst.* C.19.*s.*15. *Sibrandus L.* 8.*d. Pon. Rom.* C. 7. *Chamier T.* 3. *Panstrat. L.*15.C. 8. 9. Et *Reformati* plerique. *VValdenses & Anabaptistæ* idem dicere dicuntur *ap. Becan. c. l. Alii* distinguunt, ut *Gerhard. de Mag. t.* 268. *Meisnerus l.*4.*d.leg.s.*1.*q.* 11. *Et p.*3.*Ph.sob.s.*2.C.4.*q.*12. Et rectiùs. Directè & immediatè leges humanæ Conscientiam non obligant, solus n. DEVS in eam jus sibi reservavit, quæ immediatè & propriè illi subest, & is perdere in gehennam potest, *Matth.* 10. *v.* 28. Quod nec Magistratus civilis nec Ecclesiasticus suâ authoritate immediatè præstare potest. Directè a. quod obligat, comminationem æternæ damnationis secum vehit. *Indirectè* & mediatè eam obligare possunt, quà earum statuta legibus DEI & Naturæ consentiunt, aut generali aliquo ejus statuto verè continentur, aut earum violatio directè leges divinas evertit, aut leges humanæ & Ecclesiasticæ DEI legibus subordinantur. Sic resistens Magistratui DEI ordinationi resistit, & damnationem sibi attrahit, *Rom.* 13. *v.*2. DEI minister n. ille est, *v.*4. Et hic non ob iram solùm, sed & conscientiam obediendum, *v.*5. Ac ob Dominum, quia sic voluntas DEI est, 1.*Pet.*2.*v.*13.15. Et ex ipsis Pontif. quidam huic sententiæ accedunt, Vt *Vasquius L.* 1. *ill. Contr. q.* 28. *Gerson.* l. 4.*d.vit. Spir. Almaynus d. pot. Eccl. q.* 1. C. 10. Quibus & *Navarrum* quidam addunt *ex Man.* C. 23. ut *Becanus c. l.* tradit. Opposita alibi expediuntur. Ac Politicorum axioma hic observandum veniet, *Optimè imperare illum, qui benè parere didicit.* De quo in Politicis.

40. 2.*Monachorum, Monialium, & Jesuitarum cœca obœdientia in superiores suos in Papatu an probari possit?* Tria vota solenniora paupertatis

tatis, continentiæ, & obedientiæ Religiosi ap. Pontif. præstare solent. Et ex obed. absolutè se Prælatis ac superioribus subjiciunt, ut nihil de imperio disputent, absolutè illis pareant. Sic ille frater secum dixit, Ego & asinus unum sumus. Vt is omnia suffert, nihil disceptat, sic tibi agendum erit. *Loiola* si Papa jubeat, se scaphâ sine remo & velis è Tiberi mare trajecturum dixit, & prudentiam imperantis, non parentis esse addidit. *Lapide Act. 27. v. 44.* Cœca dicitur, quôd velut oculos claudat, ut non magis in eo, quod mandatur, inquirat, ac cœcus in itinere, quo deducitur. *Cusanus* irrationalem vocat, quia nullâ ratione imperati, sed solo imperantis mandato instar pecudis agitur. Quæritur, *An talis obed. probari possit?* Aiunt *Pontificii. Bellarm. l. 2. d. Monach. C. 21. Maffeius l. 3. d. vit. Ign. C. 7. Ribadeneira d. vit. Loj. C. 4. 5. Gretserus T. 2. def. Bellarm. Possevin. l. 5. bibl. C. 61. Lapide 1. Sam. 14. v. 42. C. 15. v. 22. Ierem. 35. v. 6. Luc. 2. v. 51. Actor. 27. c. l. Beyerling. Pol. V. Obed. p. 9. Bailius Catech. Controv. tr. 2. q. 23. Lessius L. 2. d. Iustit. C. 46. d. 5. Novarinus adag. sac. n. 750. seq. & alibi.* Rectiùs negatur. 1. *Quia* caro à Christo empti sumus, non debemus hominum servi fieri, 1. *Cor. 7. v. 23.* At qui cœcam obed. homini vovet ac debet, is est servus hominis. Nec propter DEVM cœca ista Ob. est, nusquam n. DEVS eam præcepit aut laudavit, sed propter hominem. E. eo ipso est illicita & ab Apostolo prohibita. *V. Chrysostom. hom. 19. in 1. Cor. Oecumen. in 1. Cor.* 2. *Quia* Christiani jubentur spiritus & omnia explorare, non omnib. credere, 1. *Joh. 4. v. 1.* 1. *Tess. 5. v. 21.* At nemo cœcam obed. exhibens explorat spiritus aut quicquam probat. Discretionem n. excludit, & sic judicium suffocat, quod absq; discretione nullum, & sic explorationem abjicit. E. Nemo Christianus talem obedien. cuiquam exhibere potest. 3. *Quia* quivis Christianus in proprio animo planè certus esse debet, *Rom. 14. v. 5.* At nullus ex cœcâ ob. aliquid faciens planè certus in animo suo est, hæc n. judicium, explorationem, discretionem nullam admittit, nec disceptari permittit, an imperatum facere debeas, sed simpliciter admittit, & prudentiam imperantis esse docet, non obedientis, ut ante visum. Sic qui-

quidam in ardentem clibanum ire jussus juit,& illœsus ex igne exiit, *Vt Beyerling. c.l.p.6.* refert. Quod totum illicitum fuit. E.n ul. Christianus Coec. illam obed. præstare debet. 4. *Quia* solus Christus & Magister & Dominus noster, Cui absolutè obedire debemus, *Matth. 23.v.8.10. 1.Cor.3.v.21.* Nulli ergò hominum absolutam ob. præstare debemus. At talis Monachorum est, ubi cœcorum velut Patrum cœci nati esse coguntur. 5. *Quia* ex ipsis Pontificiis *Castro l. 1. c. har.* C. 7. Paulum jussisse intellectum nostrum captivare scribit, sed in obsequium Christi, non autem hominis. Et cœcam Judæorum in Rabbinos obed. de quâ *t. 47.* pleriq; improbare solent. Pariter & hæc improbari debeat. Quæ contrà moventur, *t.* 41. ex parte solventur.

41. *3. Rechabitarum Obed. Patri præstita Jerem. 35.v. 6.7. qualis fuerit, & quomodo DEO probata?* Passim ea à Pontif. in obedientiam Monasticam probandam adducta. Arguitur n. Quicquid DEO gratum, voveri ei potest. At obed. etiam de non præceptis est DEO grata, ut exemplo Rechabitarum constat. E. voveri potest. Distinctè hic R. 1. *Omnib. ferè* causis hæc obed. à Monachorum diversa est. Illa filiorum erga Patrem fuit, Cui obedientia jure DEI & Naturæ debetur, *horum* prorsus externorum erga alios, quibus nunquam conjuncti absolutè se subjiciunt. Illa sine omni voto fuit, horum cum strictissimis votis. Illa ad tempus fuit, ut certo tempore aliter agere potuerint, sic bello ingravescente urbes inhabitârunt, *v.* 11. Horum perpetua esse debet. Illa sine ullo continentiæ voto fuit, uxores n. & liberos habuerunt. Hæc cœlibatum perpetuò nexum habuit. Illa nulla merita habuit, hæc & habet, & jactat, & aliis insuper erogare audet. Remissionem peccatorũ Votis se mereri intendunt. Quale nihil in Rechabitis. Illa nihil coram DEO satisfacere voluit: hæc & satisfactiones ad DEVM prætendit. Illa analogiam ex instituto Nazareatus à DEO facto, & votis *Lev. 27. Num 6. & 30.* in V.T. habuit, hæc nullum institutum DEI in N. T. ostendere potest. Illa parenti facta, Cui honor jure debetur. Hæc Prælatis sæpè fit, ut parentibus refractarii fiant, & ab obedientiâ,

tiâ eorum etiam reclamantibus patribus se abripiant, ut praxis quâ-doque docet. Et sic mandata DEI ob traditiones hominum cum Pharisæis evertunt, *Marc.7.v.8.* *Deniq;* Monachi nihil eorum servant, quæ Rechabitæ servârunt. Vina bibunt, monasteria, prædia, domos, ædificant & tenent, agros, vineas, terras, possident, colunt, proventus tollunt & consumunt, & ad abundantiam ac magnificentiam inde sæpiùs se alunt, ut Fuldense, aliáq; monasteria in Germania, Galliâ, Hispaniâ, Italiâ, docere possunt. Non ergò obed. Rechabitarum suo statui prætexere possunt. *2. Major limitari potest*, si etiam nostræ potestatis sit, & nisi aliunde quid obstet, unde ingratum fieri queat. Perpetuò in coecâ obed. & continuâ continentiâ vivere, incertum, an perpetuò nostræ potestatis futurum sit. Aliunde etiam accedere potest, ut ingratum fiat, si molestè, invitè, cum tœdio, murmure, odio, à nobis expediatur. *3. Minor* falsissima est, Obed. cœca est DEO grata. De hac n. quæritur, non Ob. in genere aut qualicunque. Non gratam esse patet, quia monitis Christi & Apostolorum contravenit, ut *t.40.* visum. Rationalem obed. voveri posse certum est, ut si quis parentibus aut Magistratui in civilibus legitimis, Episcopo in spiritualibus competentibus se obediturum voveat.

4. Rechabitarum exemplum in multis impertinens hic. Imperantis persona legitima & divinæ constitutionis fuit, pater ad filios, cui honorem deberi certum est, *Exod.20.v.12.* Et cui ex lege DEI, naturæ, & civili liberis leges imponere jus fuit. Non aliquis privato arbitrio aut superstitione electus, ut in monasterio Abbas, qui totum suum imperium superstitioni ferè hominum debet. *Fortè &* Vir prophetico spiritu præditus fuit, è quo potestatē imperandi aliqua suis liberis habuit, quomodo de Mardocheo & Maccabeo festa instituentib. *in Misc.Theol.p.2.* respondi, Quod de suis Abbat. nondū ostensum: Leges ipsæ merè Politicæ fuerunt, non religiosæ aut animæ salutem spectantes, ut vino abstinere, domos, agros, vineas, non possidere, in tentoriis habitare. Hæc genus aliquod vitæ Politicæ describunt ab eo populo diversum, in cujus medio Recha-

bitæ

tæ ut advenæ habitârunt. Ut hodiè Judæi in Papæ ditione habitant, ut fundi alicujus posſidendi facultatem non habeant. At Monachorũ leges religioſæ ſunt, ſtatum animæ & ſalutis concernentes, quam promptiùs talibus mereri & acquiri docent. Imperia etiam ipſa nec injuſta, nec dura, nec abſoluta quidvis agendi aut patiendi, ſed ad certa genera determinata fuerunt, quæ ſuas cauſas Politicas habuerũt, qũas ad *2. Reg. 10. v. 15.* aut *Ierem. 35.* deducere interpretes ſolent, ut *Martyr*, *R. Kimchi*, quia nempè domus, agri, vineæ hominem detinent, ut ingruente bello, fame, perſecutione, medio vitæ curſu mori neceſſe ſit, Cum illis] carenti mutari ſedes facile ſit, prout ſuo bono eſſe viderit, vel alias nobis ignotas. Itaquè obed. hîc deſcribitur, qualis in omnibus populis politiam ſuam amantibus eſt, ſed nulla cœca & indeterminata, qualis noſtro caſu obtruditur.

42. *Dices: Plus fecerunt Rechabitæ*, quàm lex divina præcepit. Non n. uſum vini, domus, agri prohibet. Et tamen laudatur obed. eorum. Et comparantur illi ut obedientes Patri cum Judæis non obedientib. DEO, indeq; inobed. illa exaggeratur. Quod fieri nequeat, ſi præcepto DEI in rebus illis Patri obedire illi obſtricti fuerunt. Nec remunerarentur aut laudarentur, niſi ſingulare quid feciſſent: Nec filii in omnibus præcisè obedire parentibus tenentur, cum puberes facti ſunt, ſecùs ut ſervi obedirent, & diſcrimen inter liberos ac ſervos exularet. *R. Quà ſpeciem* ac materiam ſpecialem factorum plus Rechabitæ fecerunt, quàm præceptum DEI habet, ut vino, agris, domib. vineis, abſtinere, hæc n. lex Dei non prohibuit: Non quà generalitatem objecti à DEO mandati, Obed. parentibus exhibendæ. Hic n. parentibus in omnibus obedire juſſum eſt, *Col. 3. v. 20.* Ad quæ nempe patria poteſtas ſe extendit. Nam ſi ſupra ultraq; eam jubeatur, DEO magis obediendum, quàm hominibus, *Actor. 4. v. 19. C. 5. v. 29.* Et hic eadem ratio omnium eſt, quæ ex imperio fiunt, ſive regio, ſive patrio, herili, aut ullo legitimo. Unde cum obedientia ipſa mandata eſt, & nonniſi in ſingularib. actionibus exhiberi poteſt, eo ipſo, quo tales ex obedientiâ divinitùs impoſita fiunt, vi legis divinæ fieri cenſentur. Ac tales hic actiones à

Iona-

Jonadabo mandatæ,& à Rechabitis expeditæ fuerunt. Hactenùs vi præcepti divini obed. præstiterunt, non plus, quàm ea jusſit, fecerunt. *Comparatio* eorum cum Iſraelitis nil juvat. Potiùs contraponuntur, & à minore ad majus ſcelus Iſraeliticum exaggeratur. Filii Patri obedierunt,& ſic mediatè DEO: Et Iudæi ipſi DEO immediatè jubenti parere recuſant? Cum longè major obed. ipſi Deo loquenti præcipientiq; debeatur, quàm hominibus, quibus nos DEUS obedire jusſit. Gravisſimè ergo Iſraelitæ peccare cenſendi ſunt. Singulare quid fecerunt Rechabitæ, ſi ſingulares actus præceptos ſpectes. At hoc ſingulare præſtare tenuerunt, quia Patri obedire ex lege debuerunt. Et hæc obed. in illis laudatur & remuneratur, *v.14. 18.19.* Prout DEVS obedientibus multiplicationem dierum promiſit, *Exod. 20.v.12.* Neque liberi in eligẽdo vitæ genere ſui juris ſunt,ſed parentibus ſubſunt,& ſic de ſe ex arbitrio proprio ſtatuere non poſſunt. In omnibus n. honeſtis obedire debent, *Col. 3.v.20.* Sic in V.T. Pater votũ filiæ audiens reſcindere illud potuit, *Num. 30.v.6.* Et filiam etiam conſtupratam potuit non elocare ſtupratori, *Exod. 22.v.17.* Nec ſi non omnia ipſis liceant, ſtatim ut ſervi obedient. Eoipſo,quo filii ſunt, ſatis à ſervis diſtincti ſunt, ac eſſentialis ea diſtinctio eſt: Nec ea libertatis definitio eſt, ut nihil non liceat,& ſpiritus filialis ac ſervilis diſcrimen ſatis in ſacris propoſitum eſt, *Rom.8.v.15. Gal. 4.v. 6.7. 2.Tim.1.v. 7.* Etiamſi uterq; ſuperiori ſuo obedire teneatur.

43. 4. *Paris in Parem obedientia an vera ſit?* Propriè dicta non eſt, hæc n. Reſpectum ad ſuperiorem importat, *t.5.* Sed impropria & analogica. Obſequentia magis, quàm obedientia. Sic amicus amico, Collega Collegæ, ægrotus Medico, Cliens advocato & conſulenti obſequitur, ut reſpectus ſuperioris ad inferiorem non præcisè obtineat, *t. 6. 57.* Sic Dei Filius Deo Patri obſecutus, & æqualis ipſi eſt, *t.13.* 5. *An Filius patri in proditione contra Principem, patriam, regionem, urbem, obedire teneatur?* Nequaquam. Honeſtum n. hic exulat. Obed. a.tantùm in honeſtis eſt. Inhoneſtorum propriè colluſio eſt, *t.6.* Et in Domino filii parentib. obedire debent, *Epheſ. 6.*

v.1. At illicita non in Dom. expediri possunt. Sed nec Patrem prodere debet, nisi ingens Circumstantia contrà agere necessitet. Tum n. patriâ potestate exemptus esse censetur, & magis Principi, Patriæ, regioni, tali casu obligatus esse, æstimatur. Sic filius quà filius parentibus quoad paterna jura subest. Sed quà Idem Magistratus, Princeps, Rex est, non subest, sed præest quoad jura regalia. Rex n. omnium, qui in regno sunt, & consequenter parentum suorum superior & dominus est, quare eos communi Reipubl. jure & lege regere, dirigere, ac corrigere tenetur. *V. t. 45.* Ita in casu periculi, Cum Pater & Princeps regionis in eo impliciti, filius magis obligatur Principi subvenire, quàm Patri, in quantum ille totam patriam gubernat, ac commune bonum continet, quâ ratione officium pietatis vel justitiæ legalis illi debetur, non solùm observantia. Illa n. ad patriæ benevolos & benefactores etiam extenditur, & justitia legalis debetur, quà commune bonum continent. Observantia a. ut mihi gubernationis per suas leges & statuta author est, spectatur, *t. 9. 52.*

44. *6. An Carnifices in jugulando absolutè Magistratibus parere debeant, etiamsi innocentes jugulare jubeantur?* Sic olim apud gentiles in Christianis jugulandis sæpè actum. *V. Hist. Eccles. Surium in Act. Martyr. Cyprianum in epist.* Et sub Papatu in Evangelicis extirpandis, *V. Prompt. exempl. Martyrologia Evang. Titium in Th. hist. loc. 14. t. 6.* Vbi præsumptio est, injustè jugulari alios, officium negare, eoque se potiùs abdicare debent, quàm sævitiæ injustorum illud commodare. Sic Doeg graviter peccavit, quòd ad imperium sanguinarii Saulis innocentes Sacerdotes Nobe jugulârit, 1. *Sam.* 22. *v.* 18. Et in genere quivis innocentes jugulandos eruere, ac qui ad interitum trahuntur, liberare non cessare, *Prov.* 24. *v.* 11. Itemq; inopem ac pauperem vindicare jubentur, *Psal.* 82. *v.* 4. *Prov.* 31. *v.* 9. *Sirac.* 4. *v.* 9. Quibus & Carnifices de innocentiâ alicujus gnaros non excludere decet. Conscientiæ n. magis obediendum, quàm Magistratui, Deo, quàm homini. *Act.* 4. 5. *V. t.* 42. Conscientiam a. concernit, innoxios jugulare. *7. An & in facinorosis jugulandis in N. T. Magistratui obedire pos-*

possint? Negant *Socinistæ, Socinus ep.p.407. Radecius ap. Eund. p. 692. Et p.2.def. c. Paleolog. f. 233. seq. Et lib. suasor. C.3. Smalcius c. Frantz. d. 7. prior. t. 174.* Et *d.6. post. t. 18. seq. Ostorodus C. 28. Inst. f. 2. 3. Volkel. l. 4. d. relig. C. 16.* Eosque secuti *Arminiani* aut cognati eorum, ut *Geisteranus in Confes. VVelsing. d. offic. Christ. f. 1. Slatius ap. de clar. f. 53.* A nonnullis n. Armin. contra illos excipitur, ut in *Apol. pr. Trin.* monui. Item *VVeigeliani, VVeigelius fest. Virid. p. 48. Et dom. 22. p. Trin. p. 330. seq. Anabaptistæ in Colloq. Frankenth. Et Fanatici* communiter. Falsò. 1. *Quia* Magistratus non frustra gladium gerit, sed vindex ad iram malè operanti est, *Rom. 13. v. 4.* E. quandoq; eum stringere oportet, & consequenter Carnifex ut Magistratus administer justè id exsequi, & sic obedire poterit. Nec de infideli tantùm magistratu id dicitur, sed generaliter de omni potestate, quæ nonnisi à DEO est, & cui proinde obediendum est, *V. 1. 2. seq.* 2. *Quia* si in V. T. cum lege caritatis id non pugnavit, maleficos gladio exscindere, nec in N. T. pugnabit. Vtrobiq; n. lex caritatis præscripta est. At ibi non pugnavit, ut *Gen. 9. Exod. 21. 22. 23.* Et exemplis Achan, blasphemorum, Sabbathifragorum occisorum, *Jos. 7. v. 25. Lev. 24. v. 11. Num. 15. v. 35. aliisq;* patet. E. nec in No. pugnabit; Consequenter licitè id jussu Magistratus à Carnificib. expedietur. 3. *Quia* ex ipsis Socinistis *Stegmannus in probâ, C. 1. t. 1. Crellius l. 1. d. rel. c. 6. p. 64. Volkel. L. 4. d. rel. C. 16.* supplicia magistratuum agnoscere coguntur. *Ex Arminianis Episcopius* ab eo non alienus esse videtur, *d. 13. Inst. t. 18. 19.* Quæ objiciuntur, *in L. C. d. Magistr.* solutionem habent.

45. 8. *An tyrannis in omnibus obediendum, an resistendum?* Si tyrannus absoluti juris sit, nemini subjectus, exercitio tantum, non ipsâ occupatione, ac civilia tantùm, etsi iniqua, modò non apertè contra DEVM & conscientiam sint, imperet, ac subditi merè tales, cum nullo imperio, jure aut potestate sint, parendum & cedendum erit. Si tyrannus restricti juris, & de novo Rempub. occupet, ac subditi cum potestate aliquâ sint, qui rempublicā repræsentent, ut Ephori, Optimates, non parere, sed resistere, coërcere, in ordinem redigere, aut etiam planè exautho-

tare ac exigere eum possunt, ut in Politicis & Casibus Conscientiæ plenius doceri solet. De Obedientiâ subditorum ac inferiorum in superiores plura *ap. Amesium L. 5. d. Conf. C. 19. 20. seq.* Vide. 9. *An & spurii parentib. obedire teneantur, etsi illegitimi sint?* Omninò. Generale n. præceptum est, Honora p. & mat. *Exod. 20. vers. 12.* Etiam morosum, *Sir. 3. v. 9.* Non determinando, an legitimus sit, an secùs. Et licet parentes scortando aut adulterando peccent: Quia tamen liberis vitam & attributa vitalia gignendo communicant, & liberi à parentib. dependent, principii ac causæ rationem ad fœtum nanciscuntur, & sic authoritatem ac majoritatem aliquam in sobolem accipiunt, cum paternitas ut talis majoritatem aliquam in liberos importet, & pater major filio sit, in quantum Pater, etsi in essentiâ pater & filius pares ac idem sint. Est n. pater causa & principium filii, non autem Filius Patris, & quoad hoc semper Pater major filio est. Consequenter soboles ut minor & inferior parentibus ut superioribus reverentiam & obedient. debet. Indignus n. vitâ est, qui vitæ suæ authorem negligit: dignus a. qui eum fovet. Ac naturalis obligatio inter patrem & filium est, qualiscunq; tandem pater sit. E. & ex eâ honor patrib. debetur, sive legitimi, sive tantùm naturales sint. Authores n. vitæ filiis existunt. Jure Civili spurii patri succedere prohibentur, ut ne alimenta quidem petere possint, *L. 5. Cod. t. 4. l. 6.* Et *Novell. 74. C. 6.* Sed hoc jus naturæ evertere non potest. Ita dominis etiam duris ac iniquis obed. præstanda, *1. Pet. 2. v. 18. Tit. 3. v. 1.* E. & à simili parentibus licet illegitimis ea debetur. Hi n. plus adhuc soboli conferunt, vitam nempe, quàm herus servo, aut Magistratus subdito.

Dices 1. Honor virtuti debetur. Sed in parentibus illegitimis nulla virtus, sed potiùs scelus est. E. R. Honor virtuti debetur, sed non soli. Etiam eminentiæ, potestati, & superiori debetur, ideò quia potestas est, *Rom. 13. v. 1. Tit. 3. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13.* Etiamsi pravè eam administret, Item officio, *1. Sam. 15. v. 30.* Et sic parenti illegitimo honor debetur, quia Causa ac principium vitæ filio est, & sic superioritatem aliquam nactus est. Nec sola virtutis absentia suf-

ſufficiens honoris negandi Cauſa eſt. Sic Neroni, Caligulæ, honor debitus fuit, etſi parum virtutis in illis fuerit. *2. Definitio* parentum illis non competit, qui in ſocietate patriâ generant. Hi a. extra Societatem in concubinatu, pellicatu, adulteratu, meretricatu. E. nec honor parentibus debitus. R. Definitio parentum in ſocietate nempe perfectâ & honorabili competens, illis non competit, Conſequenter honor talibus conveniens illis non tribuitur; benè tamen, qui in aliquâ ſocietate, etſi imperfectâ ac vituperabili vivunt, ut concubinatu, pellicatu, &c. Quales Societates etiam in Oeconomicis adduci ſolent. Hoc modo honor talibus parentibus competit, ut naturalibus, inferior eo, qui honorabilib. convenit, aliquis tamen ex ſuperioritate naturali, indequè reſultante honoris obligatione. *3. Si illis honor* debetur, confirmabuntur ſcortationes, illegitimi concubitus, partus, liberi. Quod non credibile, DEUM quarto præcepto intendiſſe. R. Prorsùs per accidens & vitio hominum id fiet. Deus parentibus & generantibus honorem conſtituit. Quod illegitimè, meretriciè, concubinariè, adulteratè, generent, totum ex vitio impiorum hominum eſt, quod à DEI intentione diſtinguendum eſt. Sic DEVS Spiritum hominis etiam ſpurii in homine facit, *Zacch. 12. v. 1.* Sine quo ille nunquam à parentib. in ſobolem propagaretur, ut *Dec. 2. Miſc. d. 2.* viſum, Nec illicitos concubitus probat aut intendit, ſed prohibet, *Hebr. 13. v. 4.* Conſequentia etiam tota falſa eſt. Honor parenti ut majori ſtatutus eſt, non ut illegitimo, ſcortatori, adultero. Quod ex vitioſitate hominis eſt, non ſuperioritate honorandi. *4. Ob parentes* ſpurii infames & officiis indigni judicantur. E. non honorem ipſis debent. Sic in V. T. non in Eccleſiam admiſſi, *Deut. 23. v. 2.* R. E. ob hanc infamiam honorem illis non debent, ſed quòd vitam ab illis habent, *Sirach. 7. v. 30.* Et ipſi cauſæ liberorum ſint, & ſic majoritatem aliquam ad eos habeant. Infamia adjacens aliquod vitæ hic eſt, Vita ipſa inſigne bonum aliquod eſt, & ob hanc liberi etiam illegitimos parentes honorare debent. Excluſio ab Eccleſiâ ceremonialis V. T. fuit, in N. T. ceſſavit. *Eſa. 56. v. 3.* Et excluſionem tan-

tùm ab officiis & dignitatibus notavit, ſecus proſelyti fieri, Deumq́; cum Judæis colere potuerunt. Sic peregrinus circumciſus paſcha comedere, *Exod.12.v.48. Num.9.v.14.* Et munus offerre potuit, *Lev.22.v.18.* Extraordinariè etiam ad officia ac honores interdum admiſſi fuerunt, ut Iephtæ exemplum *Jud.11.v.5.6.* docet. Quod & in N.T. obſervatur, ut varia exempla docent. 10. *An in conjugio contrahendo liberi parentib. obedire teneantur?* *Papiſtæ* de honeſtate id eſſe ajunt, Nos de neceſſitate aſſerimus. Et hoc rectiùs ex generali præcepto, *t.44.* Parentum tamen & liberorum quoad hoc conditio variè diſtinguenda eſt, Vt *L.C.d. Conjugio* ampliùs docetur. 11. *An filius Magiſtratus Patri privato obedientiam debeat?* Si ut magiſtratus in loco ſit & publico officio, authoritatem ſtatus & loci ſui obtinere debet, non privato cedere. Si ut privatus & in privatis, obedire debebit. Sic Fabius M. Conſul patrem equitantem obvium equo deſcendere juſſit, & pater obediit, ac filium laudavit. *Valerius M.L.2.C.1.* Et Aſſa rex Iudæ matrem Maëcham ab officio idololatrico removit, *1.Reg.15.v.13. 2.Chron.15.v.16.* Publica n. inſtituta privatâ pietate potiora judicanda ſunt, ut *c.l. Val. Max.* docet. *Conf.t.43.*

46. Ita etiam *Subjecta Obed.* fuerint. Sequuntur *affectiones & effecta ejus, competentiæ à poſteriori ei convenientes, naturam ejus conſequentes, determinantes, ac denominantes.* Tales ſunt, *neceſſitas, dignitas, utilitas, fructuoſitas, jucunditas, & præmia ejus temporalia ac ſpiritualia,* & ſimilia, quæ *Beyerling. L.13.Poly.p.1.2.6.ſeq.* deducit. Ita *immunitas ab obed. Principis* præſcribi nequit, ut ab ejus directione, correctione, judicio, appellatione quis ſe eximat. Poteſtas n. ad talia reſpectu ſubditorum authoritati Principis intrinſeca eſt. Niſi fortè ſubditus deſinat eſſe ſubditus, & ſuperiorem eum in temporalibus non agnoſcat. Vt ſi in aliam terram migret, in quâ nihil poteſtatis illi, aut totum ſtatum immutet, quo ab obedientiâ ejus eximatur. *Leſſius L.2.d.Juſtit.c.46.d.5.* tres conditiones Obed. religioſæ præſcribit, ut nempe ſit cœca, prompta, & fortis. Cœca ad imperfectiones ſuperioris & rationes præcepti ſcrutandas. Prompta, ne len-

ne lentè & cum torpore jussa expediat. Fortis in opere aggrediendo, continuando, & finiendo, ne ob difficultates à proposito resiliat. De cœcâ t.40. dictum. *Ibidem n.39.* quatuor obed. gradus colligit. Exteriùs jussa exequi, voluntatem suam voluntati superioris subjicere, judicium suum superiori submittere, non præcepta solum, sed & placita ac desiderata adimplere. *V. à Lapide in C. 6. Es. v. 8. Notæ* veræ obed. esse possunt *sinceritas*, quâ nil proprii quæritur, sed DEO ac legitimo superiori parere, & parendo Deum honorare intenditur: *Integritas*, ut in omnibus DEO obediatur, non quibusdam tantùm, Et deniq; *perpetuitas*, ut in finem usquè vitæ obediatur, non desistatur. Aliàs incipere & non progredi, nec laudem habet, nec præmium. Sola perseverantia coronam meretur. *Apocal. 2. v. 10. 25. 26. C. 3. v. 11. Hebr. 3. v. 14. Colos. 1. v. 23. Ejus Symbolum Orbis* esse potest, figura facile in omnem partem mobilis. Sic obediens ad nutum DEI & legitimi superioris facilè se in omnibus moveri sinat. Quandoque Obed. contingit, quòd angelos testes habeat. Ita *Chrysost. Theodoret. Theophilact. Thomas, Anshelmus*, illud 1. *Cor. 11. v. 10.* Mulier potestatem supra caput habeat propter Angelos, explicant, quòd angelos testes obed. aut inobed. pudoris aut impudentiæ suæ habeant. *V. Lapide h. l.* Exempla *Obed. ap. Beyerling c. l. Zuingerum in theat.* Vide, Et in sac. historiâ ac profanâ obuia sunt. Insignis est Abrahæ & Isaaci filii, *Gen. 22.* Qui se à Patre ligari & lignis imponi patitur, paratus DEO & Patre jubente victima fieri. Inde Paulo solidè commendata, *Rom. 4. v. 18. Hebr. 11. v. 17.* Et ap. Hebræos Abrahæ Obedientia & Iobi patientia velut proverbio locum fecerunt. *Bernhard. ser. 16. ad soror.* optat illi devotionem Petri, & obed. Abrahami. De quo *Novarin. adag. sac. n. 749. seq.* legi potest. Item offerre Isaac, pro promptè ac obedienter carum quid offerre ap. Eundem dicitur, ut *Idem n. 578.* tradit. *Gerson* in Magnificat scribens Mariam matrem Christi sub cruce stantem perfectiss. actum obedien. habuisse offerendo filium Patri, & se in acerbâ filii morte Dei voluntati conformãdo asserit. *V. Lapide in Joh. 19. v. 25. De effectis Obed.* ex hactenùs dictis bonam partem patere potest. *Kempis* fide-

les diabolum vincere ait, cùm obediunt, *p.1.serm.pii Viri.* Rectiùs id fidei tribuatur ex 1.*Joh.5.v.4.* Id rectè ab aliquo dictum, Citiùs exauditur una oratio obedientis, quam 10. millia contemptoris. Grata DEO operatio sale obed. condita: Insulsa hæc carens. Quæ ex *P. Damiano Novarinus L.2. elect. C.16.* persequitur. Obed. mater unionis ac concordiæ est, ut in omnibus ordinibus patet, ubi ea viget. Inobed. mater confusionis & discordiarum. *Bernhardus* solam obed. fidei meritum possidere ait, sine quâ infidelis aliquis esse videatur. Salomon obedientem victorias loqui ait, nam dum aliis subdimur, nos ipsos in corde superamus. Tantò quemque citiùs DEUM placare addit, quantò ante ejus oculos repressâ arbitrii superbiâ gladio præcepti se immolet, *L.d. ord. vitæ.* Vbi plura horum habet, ac *Beyerling, Lapide, Leßius, L. Justinianus,* pluribus de effectis ejus agunt. DEO obedire & servire regnare est. Quædam & de illis habent, cum de fide obediente ac caritatis & obedientiæ operib. vestitâ tractant, ut *Lapide C.3.4. Rom. Jacob.2.* & alibi. Vbi nimia quandoq; Obed. tributa intercurrunt, quæ cum grano salis legenda & accipienda erunt.

47. Ita & *affectiones Obed.* fuerint. Sequitur *divisio. Sic Obed. est Spiritualis & Civilis. Spiritualis est Virtus Theologica, quæ* in foro spirituali ex respectu spirituali ob finem spiritualem DEO & divinis parere facit. Sic cum DEI ejusq; præceptis obeditur, Ministris verbi, Episcopis, officiariis spiritualibus. *Hebr.13.v.17. 1.Cor.4.v.16. C.11.v.1. Phil.3.v.17.* Hæc ubi à DEO in generali aut speciali præscripta est, & debito modo expeditur, laudem habet, & verè talis est. Et obediendum DEO humiliter, alacriter, libenter, simpliciter, viriliter, constanter ac perseveranter, & indifferenter, ut Abraham fecit. *V. Lapide in C.12. Gen.* Si proprio motu aut superstitione ficta ac lecta, & finibus illegitimis modisq; alienis exercetur, æquivocè dicta est, & in superstitiones degenerat, Vt in Papatu, *t. 40. 41.* Talis & discipulorum erga Rabbinos in Iudaismo, qui dextrum sinistrum esse dicentibus credere coguntur, ut *Buxtorffius, Helvicus, aliiq;* narrant. *Civilis, quæ in foro civili* ex re-

spectu

ſpectu civili ob finem civilem & politicum hominibus exhibetur. Quæ *vel eſt Ethica* in ſtatu Ethico ab omnibus ſpecialibus abſtracto, ubi ſemivirtus dici ſolet, *t. 9. Vel in ſtatu* ſpeciali ſpectata eſſe poteſt. Quæ *vel Oeconomica* in ſtatu Oeconom. ut liberorum & ſervorum, *vel Scholaſtica* in ſtatu Scholaſtico, ut diſcipulorum, vel *Politica* in ſtatu Reipubl. exercita eſſe poteſt, ut Civium & ſubditorum. Quæ iterum *vel togata & in pace*, *vel ſagata & in bello* occupata erit. De his omnibus morales diſciplinæ pluribus agunt. *An hæ civiles obedientiæ ſpecie differant, an modis & habitudinibus tantùm*, quæri hic ſolet? Si Oeconomica, Scholaſtica, Politica, ſpecie diverſæ diſciplinæ ſunt, ut *dec. 3. miſc. d. 1.* conſtitutum, etiam obedientiæ hæ ſpecie differre dici poſſunt. Circa diverſa n. objecta & fines verſantur. Oeconomica circa Oeconomicam rem, Politica circa Politicam. Si unæ ſpecies practicæ diſciplinæ ſunt, & velut partes ſub uno toto habitu practico tantùm differunt, ut alii volunt, ut *c. l.* dictum, etiam obedientiæ illæ unius ſpeciei omnes dici poſſunt, modis peculiarib. tantùm inter ſe differentes, indeq; determinationem ſortientes.

48. *Spiritualem à Civili* etiam ſpecie non differre *Lesſius c. l. d. n. 4. 26.* cenſet. 1. *Quòd* in omni poteſtate imperandi velut divina includatur, à quâ illa deſcendat & vim obligandi accipiat. 2. *Obed.* non poteſtatem, ut tanta aut tanta eſt, reſpiciat, divina aut humana, ſed ut ſufficiens ad obligandum per præceptum eſt, quantacunq; aliàs ſit. Et in hoc formali omnis obed. cõveniat. *Verius tamen contrarium eſt*, & obedientias has ſpecie differre aſſeritur. 1. *Quia* poteſtas ſpiritualis & civilis ſpecie differunt. Diverſiſſima n. objecta & fines habent, illa ſpiritualia, hæc civilia & fines civiles habet. At talia objecta & fines ſpecie differunt. Diſcrimen n. ab objectis & finibus in practicis ſumi ſolet. Sic temperantia & fortitudo ſpecie diverſæ virtutes, quia circa objecta & fines ſpecie diverſos verſantur. E. & obedientiæ poteſtatibus illis exhibitæ ſpecie differre dici poſſunt. 2. *Quia* obedieniæ iſtæ actu ſeparari à ſe poſſunt. Sic poteſt in uno homine obedientia Politica ad Magiſtratum eſſe, & bonus eſſe civis in Republ. ac præſtare ea, quæ bonum Civem Reipubl. decent, ut

non sit obedientia spiritualis ad DEVM & divina, ac pessimus Christianus in Ecclesiâ sit. Ita bonus Civis in politiâ erit, & malus Christianus in Republicâ DEI. Sic bonus discipulus in Scholâ aliquis esse potest, ut malus Christianus in Ecclesiâ sit, v. g. Impius, Atheus, profanus, irreligiosus. At quæ separari possunt & actu separata sunt, etiam specie differre possunt. 3. *Quia* functionibus prorsùs diversis absolventur, obedient. exhibere Politiæ & Ecclesiæ, vel DEO ac divinis, exequi mandata DEI & mand. hominum, DEO obsequi & homini, dominio spirituali ac civili & temporario subesse, Voluntatem Dei & hominis perficere. Quæ voluntates quandoq; contraire ac adversa velle possunt. Sic lex Dei est, defloratam & ducat & dotet, *Exod. 22. v. 16. Deut. 22. v. 29.* Lex Civilis & consuetudo hominum, aut ducat, ant dotet. Lex DEI, fur restituat quadruplum pro furto ablato, *Exod. 22. v. 1.* Civilis fur 5. aureos furatus resti à vitâ ad mortem trahendus, Vt sanctio Criminalis habet. Lex Dei adulteros capitaliter puniri sancit, *Lev. 20. v. 10. Deut. 22. v. 22. Joh. 8. v. 5.* Sed lex Pandectarum mitiorem pœnam constituit *Dig. l. 48. t. 5.* Lex Dei concubinatum, lupanaria, meretricias conjunctiones penitùs reprobat, *Lev. 19. v. 29. C. 21. v. 9. Deut. 22. v. 30. C. 23. v. 17. 1. Cor. 5. v. 9. C. 6. v. 9. 18. C. 10. v. 8. Gal. 5. v. 19. Ephes. 5. v. 3. Col. 3. v. 5. 1. Tess. 4. v. 3.* Lex Civilis eas tolerat ac permittit, *L. 25. Digest. t. 7. L. 5. Cod. t. 26.* Lex DEI autocheiriam prohibet, *Exod. 20. v. 13.* Jus Civile in servo eam probat *L. 15. Dig. t. 1. l. 9. n. 17.* Lex Dei omnibus pœnitentibus veniam impertit, *Jerem. 3. v. 12. seq. Ezech. 18. & 33.* Lex Civilis Apostatis eam negat, nec horum flagitium pœnitentiâ obliterari ait, *l. 1. Cod. t. 7. l. 3.* Idem in aliis fit. Hic obedientia potiùs spiritualis legi DEI præstanda, quàm civilis legi humanæ, nisi lex DEI merè forensis esse deprehendatur.

49. *Ad opposita respondendum, Ad 1.* In potestate humanâ includitur divina, non formaliter & actu, sed virtualiter & potestate, non ut pars in toto includitur, nec ut contentum in continente, ut vinum in vase, sed ut derivatum & deductum in derivante, originatum

tum in originante,& rivuus in fonte suo, è quo scaturit,includitur. At tale includere specificum discrimen non tollit. Sic causæ secundæ includuntur in primâ, à quâ omnem vim & efficaciam habent,ut si prima non esset, secundæ nec esse,nec operari possent. Et tamen causæ secundæ à primâ non specie solùm, sed toto genere sunt diversæ,ut finitum ab infinito,creatum ab increato,dependens ab independente. Et potestas humana includitur in divinâ, non ut ejusdem generis & fori,sed ut diversi. Aliud jus fori & poli, aliud politiæ & Ecclesiæ. Ita *Hieronymus ep. ad Oceanum*, Aliæ leges Cæsarum,aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Sic principia Musica includuntur in principiis Arithmeticis, & tamen Musica specie diversa scientia est ab Arithmeticâ. 2.*Obedientia* respicit potestatem ut sufficientem ad obligandum. In hoc generalis natura obedientiæ sita est. Sed hoc non impedit, quò minus alia & alia species Obed. esse posset. Nam sub potestate diversæ species contineri possunt,ut spiritualis & civilis, Ecclesiastica & Politica, utraq; diversas suas formas, objecta, & versandi modos habere potest. Illas potestates etiam obedientiæ specie diversæ sequi possunt,ac alia spiritualis, alia forensis dici potest.

50. 2. *Obed. est publica & privata. Publica*,quæ publicè exercetur in negotio publico ab Ecclesiâ vel Republ. Vt in Civitate, Coetu Ecclesiæ, Concione, &c. *Privata*, quæ privatim in negotio privato. Vt in domo, Oeconomiâ, societate patriâ, herili,&c. *Item 3. Est libera & coacta. Libera*,quæ ex libero animo expeditur. Sic filii DEI liberè DEO obediunt,non tàm ob præmium, quàm ipsum DEVM. v.11. Ita populus spontaneus dicitur, *Psal.110.v.3.* Christi obedientia DEO Patri præstita liberi spiritus fuit, *Psal.40.v.9.V.t.25. Coacta*, quæ ex coactione aliquâ. Sivè illa violenta sit,ut cum facinorosus ad mortem damnatus Carnifici obedire cogitur, quod aliàs, si proprii arbitrii res esset,non faceret, sivè ex herili aliquo Imperio profecta, ut cum servus duro hero parere cogitur, ni verbera sentire velit,aut subditus tyranno Rempubl. invadenti aut scelerate administranti, ubi sæpiùs servis parere coguntur,qui ad libertatem nati sunt, & ut

moderata ætas vidit, quid ultimum in libertate, ita tyrannica, quid in servitute sit, ut *Tacitus vit. Agric. C.* 1. loquitur. Ad omnem obedientiam libertatem præcisè requiri inductione doceri non potest, *Vt t.* 9. 25. monitum. Quædam coacta esse potest, & tamen obed. definitionem totam participare.

51. 4. *Obed. alia est absoluta, indeterminata, & infinita*, alia comparata, determinata, & finita. Sic n. docendi gratiâ appellari queat. *Absoluta*, quæ nullis legibus aut conditionibus coerceatur, sed quæcunq; tandem aliena fuerit voluntas, eam sibi irrefragabiliter exequendam promittit. Hæc DEO debetur, nulli creaturæ, nisi vicem vicem DEI velut gerat. DEO absolutè obediendum, si de mandato aut voluntate constet, nihil disceptandum. Sic Abraham in Isaaco occidendo, *Gen.* 22. *v.* 3. Et prole ex Sarâ suscipienda in spem contra spem naturæ credidit ac obedivit, *Gen.* 18. *v.* 11. *seq. Rom.* 4. 18. Vnde in justitiam illi reputatum est. *Rom.* 4. *v.* 3. Ita Monachorum cœca obed. est, quam superioribus vovent, *t.* 40. *Comparata*, quæ certo respectu fertur, & non priùs expeditur, quàm imperii causam exquisierit, aut rationem viderit. Hæc non authoritatem imperantis pro summâ lege habet, sed legi eam subjicit, quam si evertat, nullam agnoscit. Hanc creaturæ deberi certum, nisi ab ipso DEO mandatum accepisse constiterit, ut non suo, sed DEI nomine obedientiam præscribat. 5. *Obed. est filialis & servilis. Filialis*, quæ ex filiali affectu in superiorem fertur. Vt renatorum in DEUM, *Rom.* 8. *v.* 15. 1. *Pet.* 1. *v.* 14. *Servilis*, quæ ex servili in herum ut superiorem fertur. Talis est, quæ injustis oppressoribus quandoq; datur, & à servis immorigeris heris interdùm expediri cogitur. *Ex gradibus Obed. vel plena & perfecta, vel semiplena ac imperfecta esse potest. Plena* quæ omnibus suis partibus & gradibus completa est, ut nihil ei desit. Talis Christi fuit Patri præstita, *t.* 29. 37. *Semiplena*, quæ in aliquo eorum deficit. Qualis renatorum in hac vitâ est, ubi volentibus bonum agere semper malum & infirmitas adjacet, *Rom.* 7. *v.* 21. Aliam legem in membris nostris legi mentis nostræ repugnantem videmus, *v.* 23. Perpetuaq; pugna Carnis & Spiri-

ctus in renato, quamdiu hic degit, animadvertitur, *Rom.* 7. v. 14. *seq.* *Gal.* 5. v. 16. *seq.* *Jac.* 3. v. 2. V. t. 34.

52. Ita & *Obed. divisio* fuerit, Et sic universim *absolutè ea* spectata. *Spectanda jam respectivè ratione Cognatorum & Oppositorum suorum erit. Cognata Obed.* omnes virtutes vel semivirtutes affinitatem aliquam ad eam habentes sunt. Quales sunt *Observantia*, affectio cultum superiori vel excellentiori nos regere valenti exhibens, *t.* 9. Quæ etiam in spiritualem & civilem, absolutam & comparatam, liberam & coactam, filialem & servilem, perinde ut Obed. dividi potest, *t.* 47. *seq.* Quid ab Obed. differat, *t.* 9. visum: *Pietas* quæ cultum debitum alicui ut principio ortus ac educationis offert, & propriè in parentes, Patriam, Principem patriæ, Consanguineos, & similes ferri dicitur. Per hoc ab Observ. differt, quòd hæc in alium ut principium gubernationis vel ad eam idonei feratur: Pietas a. ut in principium ortus ac educationis. Et sic pietas præstantior observantiâ per se loquendo est, magisq; obligare creditur. Majus n. & intimius beneficium ortus & educationis, quàm gubernationis est, in eodem rerum genere. *Sic & Principi regionis*, quâ commune bonum continet, pietas debetur, & plus quàm Observantia, quia totam patriam gubernat, *t.* 43. *Primus gradus* pietatis & Observ. est propositum majoribus honorem ac debitum obsequium impendendi, *secundus* molestias, asperitatem, ac duritiem eorum æquo animo ferre & in melius accipere, *Tertius* cum voluptate illis servire, & incommoda eorum tolerare. *Religio* justus de DEO sensus, & verus ejusdem cultus est. Hæc virtus spiritualis est, debitum cultum DEO cognito ut rerum omnium principio cum quadam sui submissione exhibere faciens. Eà & excellentiam divinam in se, & nostram ab illà dependentiam contestamur. Ac obedientiam DEO & homini præstandam elicit, ac superioribus parere facit. Unde religiosi dicuntur, qui DEUM timent, eiq; parere laborant, *Actor.* 2. v. 5. *Nehem.* 1. v. 11.

53. *Utra præstantior harum, religio, an obed. spiritualis, hic quæri solet? Pontificii* fermè Obedientiæ primas tribuunt. *V. Lessium l.* 2. *d.*

 just.

just.c.46.d.5.Lapide in Luc.2.v.51.Et 1.Sam.15.v.22. Et C.13.Joh. v.9.Et. C. 35.Sir.v.1.2.Bellarm.l.2.d.Monach. C.21.*Johannem 22. P.R. in extravag.t.14.C.1.d.verb.sign. aliosq;.* Si Obed. generaliter sumatur, ita ipsa fides Christiana Obed. dicitur, *t.4.10.* Et religionem comprehendit, vel idem cum eâ est, illique æquipollet. *Si specialiter* pro certâ virtute Theol. mandatis Dei parere faciente, sic religionem prærequirit, & hæc potior illâ est. 1. *Quia* immediatè DEVM ejusq; eminentiam & cultum respicit, circa quem versatur, & viciniùs DEVM attingit tanquam Objectum, cui cultum defert ac deferre docet. *Obed.* præceptum D E I præcisè intuetur. At prius quid DEVM colere, quàm præceptis ejus se accommodare est. Et quò viciniùs virtus aliqua D E V M attingit, eò est præstantior. *Tùm etiam* ex altiore motivo religio procedit, DEO ejusquè essentiâ eminentissimâ, eoq; cultum summum deferendum docet ac inclinat, quòd naturæ eminentissimæ ac gloriosissimæ sit, & propterea propriè, quòd Deus sit, quod ob naturam ac essentiam propriè est, ut contra *Socinistas* negantes, *Smalcium L.1.d. error. Arian.* C.9.10. 11.L.2.C.17.P.2.*refut. monstr.* C.8.P.1.C.2.3. *Et exam.* 100. *error. Err.* 8.9.10.11.17.100.*ac alias* alibi ostenditur. Nec tantùm ad præcepta, sed ipsam DEI naturam, primitatem, summitatem, omniaq; ab eo insinuata flectit, cum Obed. in præcepto tantùm sistat. At virtus ipsum Dei esse attingens vicinior illi est, quàm virtus præceptum respiciens, quod Obed. facit. 2. *Quia* qui præcepto parere vult, ei authoritatem præcipientis primò innotescere oportet, quod per fidem fit. E. fides hactenùs prior potiorq; obedientiâ. Ad fidem a. religio pertinet. 3. *Quia* obed. velut fructus, opus, & signum è fide ac religione promanans est, Et fides ac religio velut Causa & radix eam de se fundens est, *t.11.12.* At Causa prior & potior suo causato & effecto esse solet. 4. *Quia* fides, spes, religio, immediatiùs mentem cum DEO conjungunt, fides nempè credendo & fiducialiter amplectendo, spes imperando, religio colendo, adorando, sacrificando, serviendo, quàm Obed. quæ præceptum tantùm propriè intuetur, & ad actus omnium virtutum obligat, nempè

cum sub præceptum cadunt. Sola n. præcepta illa intuetur, quæ dum servantur, omnes virtutes acquiruntur. Et mediante præcepto demùm ad DEVM fertur.

54. *Dices* 1. *Qui superiori obedit*, DEO obedit. Ejus enim ille velut vicarius, & qui vos audit, me audit, ait Christus *Luc. 10. v. 16.* E. & Obed. ad ipsum DEVM ordinatur. R. DEO obedit, sed mediante superiore legitimo, qui loco DEI velut præcipit. Et eò illud *Luc. 10.* pertinet. Nam si illegitimus, & superstitione electus aut ascitus sit, non statim DEO obedit, qui cuicunque superiori, *t.* 40. 2. *Obedientia* proprias hominis affectiones, voluntatem & judicium DEO velut in holocaustum offert & mactat, dum eas exuit, & superiori suo resignat, Vnde melior Obedient. quàm victima dicitur, 1. *Sam.* 15. *v.* 22. H.e. Religio, cujus victimas offerre est. E. & religioni prævalet. R. *Negatur Conseq.* Obedientia id facit, sed mediante præcepto demùm, quod propriè respicit, Religio ipsum DEũ in cultu ac honore intuetur, *t.* 53. Et sic ipsi DEO hominem religat, ac immediatiùs eum attingit. Affectiones a. superiori resignare certo modo & ratione oportet, secùs negotium vitiosum fit, *t.* 40. *seq. In* 1. *Sam.* 15. obed. melior victimis dicitur, quando nempe expressè à DEO imperata, & victimæ in particulari non jussæ sunt, ut in casu Saulis erat, qui Amalecitas exscindere jussus fuit, non a. victimas offerre. Hic melius facere, quod DEUS præcepit, omissis victimis non præceptis, quàm offerre victimas non præceptas, & omittere præceptum. Non a. quòd Obed. simpliciter præstantior religione sit. Nec victimæ ipsæ religio statim sunt, etsi ex eâ offerri debeant. De quo hic quæritur. Si devota religio non sit, victimæ DEO nil placebunt, ut gentilium & idololatrarum hecatombæ. Melius aliquid in casu esse potest, quia *consultius, utilius, eligibilius*, non quòd absolutè præstantius. Sic utilius ferrum, quàm aurum, aqua, quàm vinum, hæc tamen naturâ sui præstantiora. Vnde inter bonum præstantius & eligibilius distinguitur. *V. Phil.* 1. *v.* 23. *Scaliger. ex.* 106. *s.* 2. Sic Obed. melior religione, quia in praxi magis necessaria, & religioni præponenda esse potest.

55. 3. *Obed. actiones omnium virtutum continet*, quatenùs in præcepto sunt. Debitum n. seu obligationem ex præcepto provenientem in omni virtutis materiâ respicit. At hoc longè generalius religione est. R. *Et Justitia* universalis debitum ad omnem honestam legem ac consequenter universam virtutem exercendam respicit, nec religione præstantior est. Est n. virtus tantùm civilis, hæc spiritualis, & Objectum ipsum Deum respicit, quo absolutè nullum præstantius inveniri potest. Et Obed. continet actiones omniũ virtutum non essentialiter, quasi ipsa universa virtus in particulari esset, sed ratione præcepti tantùm, quod de omni virtute dari potest, & quod Obed. velut ex proprio objecto respicit. 4. *Per victimas aliena caro*, per Obed. propria voluntas mactatur, ait *Gregorius L. ult. mor. C. 12. R. E. Obed.* certo casu magis necessaria & utilior victimis esse potest, quod verum, *t 54.* Non autem, E. Obed. ex se præstantior religione est. Etiam religio victimas offerens suã voluntatem DEI cultui & honori conformat, submittit, eamq; illi postponit. Et sic etiam suam voluntat. Deo velut sacrificat. 5. O-*bed. Sola virtus est*, quæ coeteras menti inserit, insertasq; custodit, ut *Idem c.l.* ait. Ex motivo n. Obed. homo ad functiones cœterarum virtutum impellitur, ut audiendum sacrum, orationem, eleemosynas dandas, &c. R. Hoc mediante præcepto tantùm & consequenter facit, quâ præcepta de virtutibus omnibus dari possunt, unde si religione ex naturâ sui præstantior est Obed. Et Justitia universalis eâ præstantior erit, quæ legibus parere docet, quæ de omnibus virtutibus dari possunt. Quod tamen non sequitur, si virtutes ex proprio objecto ac formali suo spectentur. Ex longè altiore n. motivo Religio procedit, ac longè intimiùs Deum attingit, quàm Obed. *t. 53.* *Deinde* Obed. cœteras virtutes menti inserere obiter tantum & vulgato modo dicitur, non accuratè. Fides propriè id facit, ex quâ caritas aliæq; virtutes resultant, cujus Comes est religio, Magis hæc id faciat, quàm Obed.

56. 6. *Per Obed. Voluntas* divinæ voluntati conformatur, quæ exacta norma omnis sanctitatis est. R. *Et per fidem* conformatur,

quæ

quæ ad religionem pertinet. Et per humilitatem, nec religione ea statim præstantior. Imò per religionem ipsam conformari potest, quæ DEVM ut essentiam eminentissimam & summam omnium causam respicit, *t. 53*. Cui omne nostrum esse & velle subjiciendum consequenter insinuat. Et religione DEVM ipsum immediatè attingimus, Obedientiâ tantùm quà jussorem & præcipientem, *c. l. 7. Obed. voluntatem q. vivum* & perenne sacrificium mysticum DEI facit, & sic holocaustum sanctissimum est, quod totum hominem DEO devovet, & voluntatem facit sibi mortuam, DEO vivam. *R. Idem &* de religione dici potest, quæ DEO ut eminentissimo esse omnia subjicere ac summum cultum præstare docet, *t. 53*. Et religio immediatè ac propiùs id facit, Obed. tantùm mediatè, intercurrente præcepto, quod si non esset, Obed. non esset. 8. *Liberum necessario* cedere debet, & consilium præcepto. Sed actus religionis sunt liberi, ut victimæ & sacrificia, Obed. autem necessarius. E. hæc præstantior religione. *R. Negatur Consequ.* Liberum cedit necessario, quando hoc per præceptum jam factum est necessarium, & liberum adhuc præceptum non habet. *t. 54*. Sed quando & hoc jussum, tum utrumque necessarium fit. Sic post instituta sacrificia & victimæ fuerunt necessariæ, & Obedientia, Neutrum ampliùs liberum. Et liberum cedit necessario, non semper ut præstantiori, sed ut *utiliori & pro tempore convenientiori*. Sic vinum cerevisiæ cedit in locis, ubi hæc usitata, etsi illud naturâ sui præstantius sit, *t. 54*. *Deinde* & religio ejusquè actus necessaria sunt intellectuali Creaturæ, non libera: Ex naturâ n. constat, Deum esse, & ens eminentissimum esse, *Vt d. Not. nat.* C. 5. *t. 16*. visum. Etiamsi victimæ aut sacrificia non sint instituta. 9. *Obedientia* mater virtutum omnium *Gregorio est*, à quâ cœteræ virtutes menti inseruntur. E. & religioni antecedit. *R. Antecedens* populariter & communi sensu dictum est, quâ præceptum ea respicit, quo omnes virtutes juberi possunt, *t. 55*. Non accurato. Sic n. fides & religio propriè radix virtutum spiritualium est, unde eæ ut fructus promanant, *t. 53*. Non obedies Deo, nisi priùs colendum & honorē dignum esse præassumpseris, quod

à religione inducitur, *t.53.* 10. *Credere DEO*, obedire ei, & satisfacere lœso ferè eadem sunt, & omnia ad religionem pertinent. E. Obed. & religio idem esse possunt. *R. Religio latiùs dicta* omnem virtutem, quâ DEO debitum redditur, complectitur, sic credere, quod ad honorem primæ veritatis, obedire, quod ad honorem divinæ superioritatis, & satisfacere, quod ad honoris lœsi restaurationem facit, simul continet. Sed hic *specialiter* sumitur, ut opus suum velut signum divinæ eminentiæ & excellentiæ circa DEUM occupatum, & ejus summitatem notans repræsentare velit, *t. 53.* Sed Obed. opus suum tantùm ut debitum & ex præcepto ac authoritate DEI necessarium exhibet, ne eam lædere aut contemnere velle videatur.

57. Item Obed. Cognatum est Obsequentia, cum spontaneo motu ad præscriptum alterius se accommodatur, Obed. ex obligatione præcipientis fit, *V. t. 6.* monitum. Ita Principes obsequia sibi deferri ferunt, etiamsi non præceperint, ac gratiora ea sponte oblata esse solent, quàm quæ solius præcepti authoritate exprimuntur: *Et Justitia Universalis*, Quæ ut Obed. præceptum, sic Illa legem honestam respicit, quà cujusvis virtutis actus juberi, & sic ad omnibus legibus obediendum in Communitate animus induci potest, *Vt dec. 3. Mis. d. 4.* dictum. Unde Just. Vnivers. omnem virtutem continere dicitur, non actu & formaliter, sed virtute & respectu ad legem ac bonum communitatis. Et Obed. omnem virtutem continet, quia præceptum respicit, quod de omni virtute esse potest, *t. 55.* Sed & eadem hæc cognata Obed. *Diversa* etiam ejus esse possunt. Observantia quid differat, *t. 9. 52.* visum. Quid Pietas, *t. 52.* Quid religio, *t. 53.* Quid Obseqventia, *t. 6.* & hac *th.* Quid Justitia Vnivers. paulò ante ostensum.

58. Oppositum principale Obed. est Inobedientia, vitium aut vitiosa affectio intellectualis subjecti, præceptum superioris legitimi sub intentione reluctandi factoq; suo ei repugnandi violans, eique parere detrectans. Dicitur & reluctantia, repugnantia, Contradictio, resistentia, peruicacia. Periphrasticè & tropicè fel draconis, propriæ volun-

luntatis noxia vertigo, aliterq;. *V. Novarinum l. 2. elect. C. 16.* Adamum ea de vitâ ac integritate, Saulem de regno, Judam de salute, filios Heli de statu & successione, Absalomum de fortunâ civili & spirituali dejecit. Hebræis inobedientes filii Belial, q. sine jugo, dicuntur, *t. 38.* Item stulti, *Psal. 14. v. 1, Psal. 53. v. 1.* Quia subjectionis & obed. affectus etiam in illis, quæ aliquatenùs probant, ipsis deest, *Rom. 8. v. 7.* Propheta Samariam veniens DEO inobediens leoni objectus est, *1. Reg. 13. v. 24.* Alius Prophetam jugulare nolens à leone similiter obtritus est, *1. Reg. 20. v. 36. David in Psalmo 2.* minatur, DEUM refractarios Christi sui in virgâ ferrea rectrurum, & ut vas figuli confracturum esse. *V. & Apocal. 2. v. 27. C. 19. v. 15.* Quandoq; generaliter prævaricatio dicitur, quomodo in genere Inobedientia est cujusvis præcepti prævaricatio. Sic omne peccatum est Inobedientia, quia per illud præceptum aliquod violatur, qualecunq; illud sit. Hinc generaliter peccatum ἀνομία, illegalitas, & exorbitatio esse dicitur. *1. Joh. 3. v. 4.* Ita omne peccatum est offensio DEI, quà contra amorem ipsi debitum est, vilipensio ac contemptus contra æstimationem ejus, unde ex *Ambrosio* divini præcepti prævaricatio dici solet. Sed specialiùs hic pro reluctantiâ sub formali & intentione reluctantiæ sumptâ sumitur, & propria species peccati aut vitiosæ affectionis ab aliis distincta est, per quam ptæceptum vel præcipiens contemnitur. Et contra *duplex precept. propriè est, & illud,* quod expressâ intentione violatur, ut cum prohibitum est vallum ascendere, & ascenditur, *& istud,* quod tacitè involvitur, cum violatio præcepti prohibetur, ut non contemnes præceptum superioris.

Dices *I. Non datur* præceptum DEI aut Ecclesiæ, quo formalis obedientia præcisè ut sic præcipiatur, aut bonum opus eâ intentione agi jubeatur, ut præcepto satisfiat. E. nec inobedient. formalis datur præcisè sub ratione reluctantiæ. *R. Omninò* datur tale præceptum. Præcepta DEI tui servabis, *Deut. 4. v. 1. C. 5. v. 6. 32. C. 6. v. 2. 3. Exod. 34. v. 11.* DEVM time & mandata ejus serva, *Eccles.*

12.v.13. Audi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, *Prov.1.v.8.c.4.v.4. 10.c.7.v.1.seq.24.C.23.v.22.* Obedite mihi filii Sanctorum, *Sirac.39.v.17.* Obedite præpositis vestris, *Hebr.13.v.17.* Sperate in gratiam q. filii obedientiæ, *1.Pet.1.v.14.* *Et lumen Natura* legitimis superioribus obediendum docet, ut primum principium in Intelligentiâ habere solet, Parentes sunt honorandi, non dehonestandi. Licet a. nullum præceptum illam intentionem apertè exprimat, insinuat tamen & implicat, Cum parere præcepto DEI & superiorum jubetur. *t.58.* Quòd hic satis est.

II. *Sufficit bona præstare* ex internâ suâ bonitate & honestate, non præcisè ac necessariò ex vi præcepti. E. & mala ex vi internæ malitiæ talia erunt, non præcisè præcepti. E. & Inobedien. non præcisè ex vi præcepti est. Malum enim opus est. R. *Negatur* consequenita. Etsi n. ex vi bonitatis ac malitiæ propriâ bona agi, mala vitari debeant: Ubi tamen affectio aliqua formaliter præceptum respicit, ex eoq; formale suum trahit, ut hic Obedientia, *t.5.* Formaliter etiam ratione præcepti spectari debet vel seruati vel violati. Vnde præceptum seruatum *Obedientiam*, violatum *Inobed.* dat, & sic præcepti ratione Inobed. formalis spectanda ac definienda est. Et utrumq; hic spectari potest, *tàm* interna bonitas ac malitia, quæ in virtute & vitio, *quàm* legalitas aut illegalitas, quæ lege aliquâ, DEI, Naturæ, aut superioris, jubetur aut inhibetur. Vnde peccatum illegalitas in genere dicitur, Vt *Dec. 3. Mis. d. 2. t. 13. seq. pluri b.* dictum.

59. *Causa & principia Inobed.* Subjecta, affectiones, ac divisiones ejus ex ijs, quæ de Obed. tradita sunt, *t. 8. seq.* facile patere possunt. Non peculiari deductione opus habent. *Totuplex, quotuplex* ipsa Obed. esse potest. Spiritualis & Civilis, publica, quæ rebellio ac seditio dici solet, & privata, libera & coacta, ut cum multi Judæi per tyrannidem Antiochi Epiphanis DEO & legi ejus inobedientes facti, *1.Maccab.1.3.2.Macc.6.Et alibi*; absoluta & determinata, plenaria & semiplenaria, filiorum aut servorum, & similis. Patratur & cum agitur, quod agi non debet, ut furando, moechan-

chando, occidendo, *Et* cum aliter agitur, ac agi debet. Sic cum Saul Amalecitas exſcindere debuit, & multis pepercit, 1. *Sam.* 15. *v.* 8. *ſeq.* Et Iſraëlitæ Cananæos exſcindere juſſi multos reliquerunt, *Pſal.* 106. *v.* 34. Vbi non minor inobed. in mollitie disſolutâ eſt, cū illis parcitur, quàm in nimio rigore, ut cum in animadvertendo nimium committitur, *Deut.* 25. *v.* 3. Exempla ejus *ap. Zuingerum in Theatr. Beyerling in Polyan. L.* 13. *Voc. Inobed. aliosq;* proſtant. Pasſim in hiſtoria ſacra & profanâ reperiuntur. *Primus inobediens* in ſacris memoratus Adam & Eva fuit, *Gen.* 3. *Ultimus* Canes, venefici, ſcortatores & mendaces ſunt, *Apoc.* 22. *v.* 15. Aliqua hic etiam de Inobed. quæri posſunt, quæ brevibus ſubjungenda. *I. An peccatum mortale ea ſit, an veniale?* *Pontificij* ſæpè veniale ajunt, ut in præcepto de re levi, *Lesſius L.* 2. *d. juſt. C.* 46. *d.* 6. *Valentia T.* 3. *d.* 7. *q.* 9. *t.* 3. *Cajetanus ſum. V. Inobed. Lopetz p.* 1. *C.* 55. Diſtinguenda Inobed. in ſpiritualem ac Civilem eſt. Spiritualis in DEVM fertur, & ex contemptu præcipientis oritur, quod directè contra eminentiam, æſtimationem, ac reverentiam ipſi debitam eſt, ac proinde contra religionis virtutem, quæ hoc modo evertitur, & ſic mortale peccatum eſt, Vnde q. peccatum ariolandi dicitur 1. Sam. 15. *Vt t.* 62. patebit. Civilis in hominem fertur. Qui ſi legitimus ſuperior ſit, cui parere divinitùs juſſum, mortale peccatum eſt ei refragari. Si alius, Cui obſervantia ad minimum debeatur, pro Circumſtantiarum ratione variare, & mortale vel veniale peccatum eſſe poteſt, prout homo inobedient. præſtans, res ipſa, in quâ præſtatur, modus, ſub quo, rationes, ob quas, aliaq; , per quæ præſtatur, fuerint. Vbi ipſa poteſtas contemnitur, ut nullius pretij, lex DEI *Rom.* 13. *v.* 1. *ſeq.* violatur, & peccatum mortale eſt. Vbi homo ipſe tantùm, fortè ob defectum authoritatis, prudentiæ, eruditionis, contemnitur, & poteſtas ipſa non ſatis certa ſit. aut hominem in præcipiendo errare poſſe exiſtimatur, pro veniali ex parte acceptari posſit. Naturâ ſui tamen Inobed. peccatum mortale erit. Ratione ſubjecti, quod renatus eſt, DEO amicus, reconciliatus, & in ejus gratiâ, veniale eſſe poterit, ut in materiâ de peccato uberiùs doceri ſolet.]

60. 2. *Inobedientia Adami quale & quantum peccatum fuerit? An omnium gravissimum?* An desperatio odiumq; DEI gravius sit? Quidam extenuant eam, unoq; actu constitisse ajunt, nec ob eum totum genus humanum rejiciendum censent. Julius III. Po. Ro. pavonem suum assum absumptum aut perditum cum irâ DEI ob pomi esum comparare sustinuit, ut *Dresserus mill. 6. p.* 151. notat. *Chrysostomus* homicidium Cain gravius peccato Adæ putavit, Vt *Besseus dom. 5. p. Pentec.* tradit. *Bellarm.* negat absolutè gravissimum fuisse. *l. 3. d. pecc. C.* 10. *Bonaventura* distinguit. Naturâ sui in sese absolutè est peccatum gravissimum quoad odium ac offensam DEI, & quod reatum in totam posteritatem traduxit, eamq; instar pestiferi contagij infecit, corrupit, ac gehennæ addixit, quod nullum aliud unquam in Orbe fecit. *Omnia decalegi præcepti violavit. Primum* apostasiâ, odio DEI & infidelitate, *Secundum* blasphemiâ & periurio. 3. Rebellione. 4. Violatione DEI Patris ac Creatoris, & apertâ inobedientiâ. 5. Homicidio temporali & spirituali in se & totam posteritatem commisso. 6. Perfidiâ Evæ in maritum commissa. 7. Prohibiti fructus & alieni boni sumptione ac comestione. 8. Falso testimonio, assensu, excusatione. 9. & 10. Altioris status, scientiæ, honoris, boni, pravâ appetitione. In DEUM, seipsum, & proximum ac posteros suos gravissimè prævaricatus est Adamus. In corde infidelitas & dubitatio, in ore corruptio & falsiloquium, in opere rebellio & repugnatio fuit. Ratione adjunctæ irremissibilitatis peccatum in Sp. S. gravius dici potest, quà cum finali mediorum omnium convertendi contemptu ac rejectione conjunctum est, Vt plurib. alibi in *Theol.* docetur.

61. 3. *An unicâ illâ inobedientiâ tota posteritas corrumpi potuerit?* Hoc paradoxum *Photinistis* visum, & nec ipsum Adamum eâ corrumpi potuisse, minùs posteritatem, censent. *Socinus L. suas. C. 5. Et prælect. C.* 4. *Et d. statu pri. hom. C. 9.* 10. *Ostorodus C.* 27. *Instit. Catech. Racou. C.* 10. *Smalcius d. 2. c. Frant. p. 60. Slichting c. Meisn. d. baptism. a. 6. n.* 1. *Volkelius L. 5. d. relig. C.* 18. Falsò. 1. *Quia* expressè per unius inobedientiam peccatores multi constituti dicuntur,

tur, *Rom. 5. v. 19.* Et judicium ex uno in condemnationem procedere, *v. 16.* Ac mors, peccati stipendium, *Rom. 6. v. 23.* & in eos transijt, ut infantes, qui non ad similitudinem Adæ actualiter peccaverunt, *Rom. 5. v. 14.* Ideò quòd omnes in Adamo peccârint, *v. 12.* E. Adæ peccato omnes corruptos & peccatores esse oportet, secus mori non possent. 2. *Quia* innata ad peccandum proclivitas ac impetuosus furor in omnib. hominib. post lapsum animadvertitur, quod nec Socinistæ ipsi negare possunt, Et Scriptura docet, non esse, qui non peccet, *Psal. 14. 1. Reg. 8. Rom. 3. 5.* Ac universalis experientia attestatur: Quæ à parentibus attrahitur, *Gen. 6. 8. Psal. 51.* Tandemq; ad primum parentem Adam, reducenda erit. Quod ex primâ ejus apostasiâ oritur, ad nullã aliã radicem referri potest. Vno â. actu totam naturam corrumpi non posse *& in Physicis ac Medicis* falsum est, ut leprosis, contagio pestilenti, scabie pecorum, *Ubi grex totus in agris* unius perijt scabie ac porrigine porci, unus ictus lethalis totum hominem prosternit, una vitiosa radix totam arborem omnesq; ramos & fructus inficit ac prosternit, *Et Ethicis,* ubi unum enorme scelus totam ante actam vitam evertit, *Et Politicis,* ubi unius parricidio aut atroci scelere tota Civitas maculatur ac exscinditur, totaq; familia statu ac honoribus deturbatur, Vt exempla nota sunt, Sic apud Macedones ptopinqui insidiatium Regi cum ipsis necabantur. *Curt. l. 8. C. 8. L. 6.* C. 11. Apud Persas etiam, *Ammian. l. 25.* *Et Theologicis,* ubi uno malitioso lapsu angeli mali tota species angelorum malorum beatudine excidit, & æternûm corrupta ac damnata est, *2. Pet. 2. v. 4. Judæ v. 6. Et deniq; Metaphysicis,* ubi principium rei Causæ universalis rationem habet, quâ corruptâ totam progeniem corrumpi oportet, Vt pleniùs Loco d. peccato contra Socinistas deducitur.

62. 4. *Cur & quomodo Inobedientia velut peccatum ariolandi ac idololatricum dicatur 1. Sam. 15. v. 23.?* Vt turpitudo ejus adumbretur, & gravitas exaggeretur. *Magia* peccatum velut extremum & ultimum est: Vt Magus malitiosus totum se â DEO avertit, & ad Sathanam ut alterum suum DEUM convertit, de futuris ex avium

volatu

volatu, garritu, signis nugacibus conjectat, suum velle & nosse ut melius DEI præponit, sicq; se prudentiorem & meliorem DEO facit, artes suas velut divino principio ortas æstimat: Sic DEO pertinax inobediens ac refractarius. Vt ille commodi sui gratiâ multa in eo agit, magis quàm ut Sathanæ dominium agnoscere cupiat, Sic rebellis DEO, ut Saul. Vt ille obfirmatus in peccato tandem fit, ac pertinaciter Sathanæ & idolis adhæret, ut & stigmata sibi inurat, ac se stigmaticum idolorum seruum profiteatur, quod Jojakim regem Juda fecisse *Tostatus*, *Pererius*, *& alij* tradunt, ut & in Cadavere ejus tales stigmaticæ notæ inventæ fuerint, ut *Lapide 2. Chron. 36. v. 8. Et Jerem. 22. v. 19.* notat. Quomodo alij se & turpitudinem suam Veneri & Priapo sacrilegè dedicant, ut mater Asſæ regis Judæ fecit, *1. Reg. 15. v. 13. V. Eundem in Act. 5. v. 37.* Et Corinthiæ mulieres cultui Venetis ita addictæ, Vt 1000. puellas quotidie ad templum ejus lenocinio exponerent, ut ex *Herodoto ac Strabone Idem 1. Cor. 6. v. 20. & C. 11. v. 3.* notat. Ita seruis olim stigmata inusta, qui inde inscripti & literati servi dicti. *V. 3. Maccab. 2. v. 29. Ut Idem Ezech. 9. v. 4.* obseruat, Vt valdè difficulter talis ad DEUM redeat: Sic obstinatè inobediens velut agit. Vt Ille cõtempto divino altari & oraculo ad aram dæmonis responsa accipit; Sic hic cordis sui placitis credẽs illisq; adhærens salubrib. consilijs pertinaciter reluctatur. Vt is artes suas DEO ortas æstimari vult, ac ni quis faciat, odit, persequitur, incantat & occidit hominem: Sic rebellans DEO similia occupabit, si queat. Vt Ille voluntatem suam DEI præfert, & præcisè DEO reluctari cupit, ac gravi violatione, injuriâ, ac contemptu DEUM afficit: Sic in simili malitiosus inobediens, tandemq; DEUM velut negat, suumq; consultum ac placitum sibi DEUM facit. De inadvertenter inobediente alia ratio. De malitioso illã dicuntur, qualis Saul fuit, *c. l. De peccato idololatrico* similis ferè ratio erit. In hoc figmentum cordis velut DEUS concipitur, pro eo in corde ponitur, ejus loco colitur, observatur, tacitè DEUS negatur, & idolum velut DEUS habetur DEOq; præfertur, mendax oraculum, hoc n. teraphim notat, pro DEO consulitur, gravisq; DEO injuria infertur:

Sic

Sic in pertinace inobedientiâ. Dum mentis propositum pertinaciter deliberat, quasi ad adorandum simulacrum se inclinat. Dum in deliberando perseverat, foris majore contemptu erigitur, quia intùs fictis propositi sui simulacris velut incurvatur, ut *Gregorius* loquitur. Suum judicium, prudentiam, & voluntatem ut fidum idolum quærit, consulit, sequitur, colit, observat, ut metam ac scopum omnium actorum statuit, eò omnia refert, ut illi satisfaciat, totâ virtute laborat, summum bonum velut in eâ statuit, ei se ac sua omnia dicat & tradit, DEUM eludere velut gestit, mandatum ejus ad suum figmentum redigit, cogit, & detorquet, ad ultimum deniq; se suumq; placitum DEO præfert, & simile ei agit, quod idololatra cum idolo suo solet. *Alii* velut vi avellere ac abrumpere locum 1.*Sam.* 15. reddunt, ut inobedientia velut gigantes ac Titanes cum Jove olim, sic cum DEO pugnet, cœlo solioq; deturbare velit, se loco ejus ponere, & suam voluntatem pro DEO sequi velit. Sic avarus idololatra est, *Ephes.* 5. v. 5. *Colos.* 3. v. 5. Gulosus ventrem, *Phil.* 3. v. 19. Libidinosus venerem, ambitiosus honorem velut pro DEO habet, eiq; servit. *Pariter inobediens* proprium consultum ac volitum ut DEUM habet ac observat. Ex naturâ sui & in sese gravius crimen est magia ac idololatria, quâ quis dæmonem vel idolum ut DEUM consulit, & in veri DEI injuriam honorat ac observat. Sed inobedientia, quâ quis jussa DEI abjicit, in multis similis illi est, & hoc hic asseritur. Pluribus Interpretes & Homiletici ad hunc loc. Et *Prov.* 21. v. 28. hæc deducunt.

63. 5. *Quale argumentum inobedientiæ Judæorum contra Romanos, cum Pharisæi dicunt, si Christum ita relinquimus, omnes in eum credent*, & venient Romani, & locum ac gentem nostram tollent, *Joh.* 11. v. 48? Est à periculoso ac noxio Politico illud ductum, quod toti suæ genti è dogmate & sectâ Christi imminere censent, dicere volunt, Christus ille ingentia patrat miracula, multos habet applausores, quotidie plures ac majores acquirit, etiam Pharisæos, scribas, & primores quosdam nutare videas, mira ejus tanta sunt, ut vix simile quid in Orbe habuerint, fieri potest, ut omnes vel plerique Judæi ad

ultimum ei adhæreant, eum ut Ducem ac regem eligant, sequantur, observent, sicque nos apud Romanos in suspicionem veniamus, quasi novum regem ac Messiam nobis creare, Romanis rebellare, eorum jugo nos eximere, ac ab illis totaliter deficere, imò contra eos pugnare eosq; Syriâ exigere & exscindere cupiamus & cogitemus. Per hoc Romani in nos ut rebelles irritati, tanquam rebellionis suspectos irruere queunt, nostrumque locum, Vrbem, templum, Rempublicam, & regionem funditùs evertere ac vastare molientur. Hoc priusquam fiat, satiùs fuerit Christum istum exscindere & è medio tollere. *Sic illi ingentem paralogismum* ex odio, livore, invidiâ in Christum & s. fidem à Christo in carne jam exhibito fundatam ac annunciatam committunt. 1. *Christus* non erat nec esse cupiebat rex mundanus, temporalis, & civilis, *Joh.* 18. *v.* 36. Eoq; nec regnum Cæsaris curabat, aut ei eripere intendebat, sed spiritualis, & gentes à Sathanâ ad DEUM reducere volebat. Quod cum temporali Romanorum politia benè consistebat, nec eam tollebat, sed augebat, beatiorem ac feliciorem reddebat, & è tenebris ad lucem reducebat, *Actor.* 26. *v.* 16. Ipse Christus tributum Romanis solvit, *Matth.* 17. *vers.* 27. Et solvendum esse Judæos docuit, *Matth.* 22. *v.* 21. Cum eum regem facere Judæi vellent, aufugit, *Joh.* 6. *v.* 15. Omnia mundana à se removebat, Minimè ergò Romani sibi ad eo timere habuerunt. 2. Si *Judæi* Christo credidissent, ab eo Romanis parere, & tributa ut dominis pendere didicissent. Hæc n. docuit Christus, *Matth.* 22. Et alibi. Non ergò de rebellione suspecti Romanis fieri potuerunt. 3. *Ideò* potiùs Romani everterunt Judæos, quia ipsi Christum occidere multoties voluerunt, ad ultimum etiam per Pilatum crucifixerunt, ut ipse Titus eorum Eversor judicavit *ap. Josephum & Lapide in* C. 11. *Joh. v.* 48. Quod & R. *Sam. Marochianus d. adv. Mess.* C. 1. fatetur, *ap. Eundem* C. 2. *Esai. v.* 9. Judæi justo DEI judicio excæcati cum Christi causam odio Romanorum prætexuerunt, ipsi in odium, gladium, & excidium eorum incurrerunt, tandem in mortem temporalem ac æternam lapsi sunt. 4. *Esto*, è Christi do-

sti dogmate ac factis aliquod Corporis periculum metuere Judæi potuissent: Potiùs tamen si ex Conscientiâ agere voluissent, pluris animæ, quàm Politiæ aut Corporis salutem facere debuissent. Et si salutem animæ credendo in Christum prætulissent, haud dubiè Christus etiam omne malum Corporis ab illis avertisset. Sic enim & DEVS in lege promisit, *Leu. 26. Deut. 28.* Et Christus in N.T. pœnas impietati ac incredulitati eorum præsagiit, *Matth. 23. v. 35. seq.*

64. 6. Petri inobedientia erga Christum in lotione pedum Joh. 13. v. 8. qualis & quanta fuerit? Origenes propriam censet, eoq; eum proterviæ accusat *in Joh. h. l.* Si liber verè ejus est, fermè n. multa illi supposita sunt. *Augustin. tr. 56. in Johan.* eum excusat, & fidei, timoris, stuporis, ut *Luc. 5. v. 8.* reverentiæ ac caritatis repulsam censet. Simile *Cyrillus l. 9. in Joh.* C. 4. *Cyprianus ser. d. lot. ped.* Si verè ejus est, *Basilius, Ambrosius, Author ad frat. in erem. Chrysostomus, Theophilactus, aliiq;* faciunt. Contra reverentiam Magistro debitam esse putavit, sordidâ pedum lotione eum circa se occupari. Hoc Petri verba à lavantis, ut Magistri, doctoris, Domini, veræ lucis mundi, Messiæ & Christi DEI, ostensi sibi & aliis in transfiguratione filii DEI, *Matth. 9. Luc. 9. v. 35.* tanti tamque eximii Prophetæ majestate, & lavandi hominis, Petri, indignitate, servi, peccatoris, *Luc. 5.* Piscatoris, miseri ac indigni vermis, inutilis peccati mancipii, & discipuli Christi, eum indignè reformare, ac olim à sancto passionis proposito ausi, indeque jure Sathanæ ab eò vocati, *Matth. 16. v. 23.* Mortalis, abjecti, Officii ipsius sorditie ac vilitate, servilis, contempti, spurci, servis ac mancipiis digni, *1 Sam. 25. v. 41.* Partis lauandæ abjectione, pedis, infimæ hominis partis, luto ac sordibus calcandis destinatæ, non capitis, faciei, manuum, brachiorum, cum & Johannes baptista vix corrigiis calceorum Christo solvendis se dignum judicârit, *Matth. 3. v. 11. Marc. 1. v. 7.* Et tantus doctor tàm viles partes eluere debeat: Instrumenti, manuum Christi dignitate, tot miraculis, sanctis actionibus, devotionibus, facultatibus ac virtutibus illustrium, in quas omnia DEUS dedit, *Joh.*

 3. v.

3.v.35. C.13.v. 3. Ac denique devotionis suæ & affectus in Magistrum passim in historiâ Evangelicâ elucentis, *Matth.26.v.33.51. Joh.13.v.37. C.21.v.17.* Magnitudine sumpta ductaq; arguunt. Christus tamen recusationem ejus ut intempestivam ac ex ignorantiâ profectam arguit, & quod faciat, eum ignorare, postea sciturum ait: *v.7.* Et ni lavet eum, non partem in Christo habiturum minando addit *v.8.* Quare Petrus minis istis ut fulmine ictus illicò obedit, & in lotionem tandem consentit, *v.9.* Modestia laudem habet: Sed Obedientia summa est reverentia, omni victimâ potior, *t.54.* Ex infirmitate ac ignorantiâ Petrus hic peccavit. Magnitudinem Magistri, vilitatem sui considerans, consilium Domini penetrare non potuit, officium admittere non cupiit aut ausus est. Satius Christum nihil sine gravi consilio, omnia ex destinatis causis agere, ejus voluntatem suæ præferre, ei plenè se submittere, optimum contra suggestiones rationis esse cogitavisset. Quomodo Maria egit, quando paradoxa & incredibilia ab Angelo audivit, *Luc.1.v.38.* Pium est, Christi verbis obedire, licet ratio ignoret, quid voluerit. Humana prudentia media sibi sæpè fingit, & divina negligit. Sic ad sanctorum intercessiones confugitur, cum satius DEVS & Christus ejus invocetur, *Psal.50.v.15. 1.Johan.2.v.1.* Spiritualis lotio inter nos & Christum dividitur, cum satiùs solius Christi admittatur, ut hic Petrus tandem agit. *V.& Apoc. 1.v.5. C.5.v.9. Hebr.9.v.14.* Inobedientiam etiam promptâ admissione postea Idem Petrus pensavit. Quomodo in simili, *Matth.14.v.29. Luc.5.v.1. alibiq;* Christo morem gessit.

65. 7. *An Vasthi reginæ inobedientia erga Assuerum excusari possit, Esth.1.v.12.* Omninò. Quia partim ex temulentiâ, partim libidine, & temeritate Vasthin adduci jussit Assuerus, & incauta, imprudens, superba, inhonesta & inverecũda hæc jussio fuit, gravem ac eximiam matronam dedecens, quam pudoris authoritatis regiæ & castitatis gratiâ jure detrectare regina potuit, ne formâ suâ ebriorum Satraparum ac populorum oculos & animos in fœdam concupiscentiam illiceret, & illicitis flammis faces ac occasiones accenderet. Ut olim

olim Candaules Lydus uxorem suam Gygi ostendendo *ap. Herodot. l.* 1. fecit, ac per id sibi exitium accersiit. Et Persis lex erat, ab alienis uxores videri prohibens, *Vt Josephus l.* 11. *C.* 6. tradit, quam ipsa custodire sategit. Vnde *Sulpitius* de eâ, quòd stulto rege consultior, pudens spectaculũ corporis exhibere jussa abnuerit, scribit. Quæ ulteriùs hic *Rabbini* de nuditate fabulantur, fabulas eorũ olent, ut alibi traditur. 8. *Cur tantoperè DEUS inobedientiam abominetur & puniat?* Quia atrocissimum peccatum est, quod suam voluntatem DEI voluntati, & seipsum DEI loco ponere velut docet ac facit, *t.* 62. Quod abominatione & pœnâ dignissimum est. Unde atrociter à DEO sæpè punita est, *t.* 58. Quod & homines quandoq; imitantur, ut acerbè in eam animadvertant. Sic in bello Jonathanis inobedientiam Saul morte punire voluit, nisi populus eum eripuisset, 1. *Sam.* 14. *v.* 44. Unde *Abulensis, Serarius, Ambrosius ser.* 36. *aliiq;* Saulem hic excusant, quasi religiosum disciplinæ militaris votiq; observatorem, etsi *Chrysostomus* ut parricidam accuset *hom.* 14. *Sam.* Excidio Judæorum ab Hamane cogitato inobedientia inter alia prætexta fuit, *Esth.* 3. *v.* 8. *Joseph. L.* 11. *antiq. C.* 6. T. Manlius apud Romanos filium injussu suo contra hostes pugnantem & victorem securi percussit, *Gellius L.* 9. C. 13. Idem Posthumius dictator & Manlius Torquatus in filiis fecerunt. Papirius F. Rutilianum contra imperium exercitum educentem virgis cædi jussit. *Valerius M. L.* 2. *C.* 2. Exempla plura passim obuja. Inde omnes exhortationes, promissiones, comminationes divinæ ad obedientiam persuadendam & inobed. fugiendam tendunt, *Leu.* 26. *v.* 1. *seq. Deut.* 28. *v.* 1. *seq. Psal.* 37. *v.* 27. *seq. Esai* 1. *v.* 16. 19. 20. *Jerem.* 22. *v.* 21. *C.* 26. *v.* 4. *seq. C.* 35. *v.* 13. *seq. C.* 42. *v.* 13. 2. *Thessal.* 1. *v.* 8. *Hebr.* 2. *v.* 2. *Et alibi.*

66. Ita *primarium Obed. Oppositum*, *Inobed.* fuit. *Secundarium* ejus Opp. est Obed. prava, cæca, distorta, aliena, *t.* 40. *seq.* Item ficta ac simulata. Sic latronum dux Lizungzus in bello Sinensi familiam suam Thienxunam dixit. Thienxun Cœlo obedientem notat, quasi Cœli placito sibi imperium Sinæ tradatur, & populos à Regis avaritiâ liberare debeat. Cum reverâ rebellis, & factiosus

inobediens ac latro esset. *Martinius d. bell. Tart. p. 10. b.* Item cum non eo modo fit, quo imperatur, etsi res imperata fiat. Sic Gallus quidam ad Bruscam piscari jussus, ad Ligonem fluvium piscatus est, & nihil cepit. *Beyerlin. T. 13. p. 11.* Sic cum Creaturæ contra mandatum DEI obeditur, ut Sathanæ, *t. 38. Item oblivio* mandatorum DEI, securitas carnalis, studium mundo placendi, nimium rerum terrenarum desiderium & aucupium, similiaq;. Similiter omnes errores & errantes de obedient. Christi, angelorum, hominum, ut *Arminianorum, Socinistar. Pontificior. Monachorum* ac Monialium, *t. 10. seq.* Ita Magi à DEO ad Sathanam se convertentes, *t. 38. 62. Et Libertini* veri hostes obed. fuerunt, quibus peccata tantùm opiniones fuerunt, & transgressiones legis assumptæ hypotheses, nihil naturâ sui pravum, in nullo sibi conscientiam formandam, omnia omnibus licere censuerunt, ut *Calvinus Instr. c. Libert. Viretus, Bullingerus c. Anabapt. Hutterus L. C. d. caus. pecc. p. 239. Lapide in 1. Cor. 8. v. 7.* aliiq; tradunt. Begardi item & Beguinæ, Viros perfectos non ad bona opera, nec humanam obedientiam aut aliqua Ecclesiæ præcepta obligari dicentes, quos Clemens V. in Concil. Viennensi damnavit, *ut L. 5. Clementin. C. 3. t. 3. Et in C. Lapide in Joh. 15. v. 2.* patet. Item *Prædestinatiani ap. Augustin. L. d. præd. & grat.* Qui Christum pro solis prædestinatis orasse, natum ac passum esse, illisque quæcunq; committant scelera, nil obesse, reprobatis autem bona, quæ agant, nil prodesse docuerunt, quorum hæresin à Joh. Huss & Luthero his seculis renovatam ait *Lapide in Joh. 17. v. 9.* Magno falsi crimine, Cum uterq; utrumque dogma in scriptis refellat. Ita *Idem* nobis tribuit, quasi libertatem Christianam ab obedientiâ decalogi, legum, & superiorum exemptionem esse dicamus, *proleg. ad Rom. p. 20. b. Et C. 5. Galat. v. 13.* Pari calumniâ, ac prius, cum omnia scripta, Loci communes, Polemica & Homiletica, contrarium testentur, *Ut d. Calum. Theolog.* dicetur.

67. *Similiter hostes Obed.* sunt, qui fidem resurrectionis nostræ tollunt. Tolle n. eam, & resoluta est omnis observantia omnis pietatis, ait *Chrysost. in Matth. 22.* Securitas etiam carnalis veram

Obed.

Obed. verſuram facere poteſt. Qui quæ carnis ſunt, ſapiunt, curant, accipiunt, promovent, nunquam ſpiritui D E I aut ſanæ rationi Verbo ejus correctæ ſe ſubdent. Caro enim adversùs Spiritum perpetuò concupiſcit, *Gal. 5. v. 17. Hieroſolymæ* imputatur, quòd ſubinde obedientiam regum excuſſerit, ſeditiones ac rebelliones commoverit & foverit, *Esdr. 4. v. 12. 19.* Poſt aſcenſum Chriſti Judæi ſubinde obedientiam Romanorum excutere tentârunt, defectiones ac rebelliones moliti ſunt, unde ſæpiùs cæſi ſunt, *V. Ioſeph. l. 7. bell. Iud. C. 13.* Vt in tumultu ſub Cumano 20000. cæſa, *V. Ioſeph. L. 20. antiq. C. 4.* Et ſub Veſpaſiano variè cæſi. *V. Eundem L. 3. d. bell. Iud. C. 1. 11. Et alibi.* Ita Ægyptius aliquis ſeditioſus & ſeductor, *Act. 21. v. 39. V. Lapide in h. l.* Sub Trajano per ſeditionem ſupra 40000. In Ægypto, Cypro, & Meſopotamiâ ad 200000. Judæi trucidati ſunt, ut *Alſtedius in hiſtor. C. 21. t. 2.* aliiq; referunt. Sub Hadriano ad 50000. cæſa, totaq; gens protrita. *Euſeb. l. 4. hiſt. C. 6. Lapide Ezech. 5. v. 3. Et Dan. 9. v. 27.* Hæc de universâ Obœdientiæ naturâ hac vice dicta ſufficiant.

AUCTARIA.

Ad *t. 19.* adde. *Novatianus item L. d. Trin. C. 31. Et Euſebius L. 5. demonſtr.* Filio DEI ut DEO obedientiam tribuunt.

Ad *t. 22.* adde. *Forerus* inferiorem partem in Chriſto ſuperiori in paſſione reluctatam fuiſſe ait in *manupret. c. Nicola. ſ. 10. c. 1.* Sed inordinatum hoc de Chriſto ſentire. *Aliud eſt*, nolle mortem, quod ſimpliciter ex naturâ eſt, & DEO mortem volenti repugnare, quod ex carne corruptâ eſt. DEO volenti mortem ſe ſine ullâ luctâ & rebellione plenè ſubjicere perſonalis in Chriſto gratiæ eſt. Nolle mori, naturæ in ſe eſt. Nolle contra D E U M, corruptæ naturæ. Nolle, ſi D E U S nolit, ſpiritus eſt, & tale quid in Chriſto fuit.

Gloria in excelſis D E O.

H. NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.